EK GENT
3811
Digitized by Google

Acc 3127

Digitized by Google

ADRIANI KLVIT

ANTIQVITATVM ET HISTORIAE IN PRIMIS DIPLOMATICAE BELGII FEDERATI PROFESSORIS ORDINARII

HISTORIAE FEDERVM BELGII FEDERATI

PRIMAE LINEAE

IN VSVM AVDITORVM.

PARS PRIOR.

LVGDVNI BATAVORVM,
APVD SAMVELEM ET IOANNEM LVCHTMANS.
CIↃIↃCCXC.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO CELSISSIMO

ARAVSIONIS AC NASSAVIAE

PRINCIPI HEREDITARIO

WILHELMO FREDERICO,

VRBIS BREDANAE GVBERNATORI MILITARI, COPIARVM PEDESTRIVM BELGII FEDERATI PRAEFECTO, CET. CET. CET.

Permitte, quaeſo, CELSISSIME PRINCEPS! *ut hoc qualecumque laboris mei ſpecimen Nomini inſcribam* TVO; *et cui potius quam* TVO? *Etenim quum per illuſtrisſimos tuos Parentes, anno proxime elapſo,* Academiae nostrae Leidenſi, *quae* WILHELMVM I. *Auctorem agnoſcit et inſtitutorem, tam felici esſe contingeret, ut* TE, *carum Parentibus, carum Patriae, carum omnibus bonis, carum denique Academiae Pignus gremio complecteretur ſuo, eo fine et conſilio, ut* TE, *quem ipſa Respublica, uti dignitatum, ita et virtutum*

paternarum olim heredem reſpicit et colit, iis literis et diſciplinis ulterius tractandis dares, quae Principem ad ſumma quaeque natum decent et honeſtant, per quas Maiores etiam TVI *in Republica condenda, amplificanda, et ab interitu non ſemel vindicanda, aeternum ſibi nominis decus et grati animi apud poſteros teſtimonium adepti ſunt: huic ſcopo ut ſatisfieret, Profeſſoribus quidem aliis, Collegis meis, ſuae cuique aſſignatae fuerant docendi partes, mihi vero uni, quae profecto ſingularis vitae meae eſt felicitas! contigit, res Patrias, et immenſum illum rerum, quae noſtram Rempublicam ad tantum honoris et dignitatis faſtigium evexerunt, vel interdum affecerunt, campum* TECVM *percurrere, et tamquam in ſpeculo proponere, quae noſtra in Patria, in primis exteris cum Nationibus, ſint facta ſequenda, quaeve vitanda.*

Hunc igitur meum laborem, hoc opuſculum, quod primas *quaſi* Lineas *ducit eorum, quae neceſſitudines Reipublicae Federatae aliis cum Gentibus connexuerunt, et florem ac vigorem intus conciliarunt, cui potius inſcriberem quam* TIBI, *optime Princeps! qui, quamdiu inter nos verſatus es, non modo in omnibus*

TVO

TVO *praeiviſti exemplo prorſus egregio, tuaque benevolentia et colloquii facilitate omnium civium benevolentiam et amorem conciliaſti; ſed et ſtrenuam adeo literis operam navaſti, meque ita diligentiae* TVAE *plane ſingularis perpetuum teſtem feciſti, ut neſcio quid prius praeſens in te admirari debuerim, diſcendi ardorem et aſſiduitatem, rerum ac cauſſarum intelligentiam, ingenii acumen, ſubacti vim iudicii, an ſtudium conſervandi et memoriae commendandi fideli ea, quae, magno cum Patriae bono coniuncta, ad promovenda Reipublicae commoda et honorem quammaxime faciant; ita ut non cum iuvene, ſed cum Viro ſermonem me conſerere ſaepe exiſtimaverim. Quod privatum meum de* TE *iudicium ipſi Belgarum Proceres publice comprobarunt, quum haud ita pridem, plaudentibus omnibus bonis, in* TE *contulerunt munera, quae non fortunae dotibus adſcribenda, ſed aequa* TVIS *meritis praemia ſunt cenſenda. Mitto alia, ne aſſentator magis quam laudator eſſe videar.*

Hunc itaque Librum, eadem, precor, accipias benevolentia, qua antea Auctorem res ipſas Libro contentas pluribus TIBI *exponentem amplexari*

Digitized by Google

haud dedignabaris, nec, ſpero, dedignaris adhuc!

Supereſt votum pro veſtra, PRINCEPS AMABILIS, *incolumitate! Vive diu ſoſpes et fortunatus, cum celſiſſimis Parentibus, illuſtri Familia, et regia cum Sponſa: ſitque Reſpublica ſub optimi parentis* WILHELMI V., *et, ſero tamen! ſub* WILHELMI VI. *auſpiciis, diu felix et beata!*

LEIDAE
III. Idus Septembris
CIƆIƆCCXC.

Haec ſincero pectore
vovet

N. T. A.

ADRIANVS KLVIT.

Digitized by Google

AD

LECTOREM.

Siſto tibi brevem narrationem Federum, Conventionum, aliorumque Negotiorum, quae Reipublicae Belgicae ab ipſius primordiis usque ad hanc noſtram aetatem intercesſerunt cum Gentibus exteris. Praeter commoda in ipſos cives, ſuae Patriae vere amantes, ut mihi blandior, inde redundatura, quantum harum rerum expoſitio conferre etiam queat ad cognoſcendas res Europaeas; vel ex hoc uno intelligi potest, quod vix quidquam olim in Europa alicuius momenti gestum vel tractatum reperias, cui non immixta fuerit Respublica Belgica. Quum vero uſui Academico hoc quantillum est laboris potisſimum deſtinaverim, plures etiam me movebant rationes, cur in uſum *Lectoris* nuda duntaxat ac ſimplici oratione ea tantum, quae *facta* ſunt et *conventa*, enarraverim; in uſum vero *Auditorum* ſervaverim reliqua; atque adeo ea, quae pro Gentium diverſitate; pro cuiusvis populi commodis; pro va-

rio hominum ac civium, de patria ſua bene mereri cupientium, affectu; pro variarum partium ſtudio (id quod in libera praeſertim Republica minime inſolens!) diverſam habere posſunt explicationem; quaeque praeterea ad varias rerum actarum origines, cauſas, colores, auctores, promotores, ſequelas et effectus; denique quae ad politicorum artes, arcana agendi conſilia, deliberationum momenta, principum et populorum molimina, aularum legatorumque praeſtigias et ambages, et alia hisce ſimilia pertinent: ea vix digito tetigerim, ſed ferente ita occaſione, et data facultate, liberiori ac pleniori examini ſubiicere, et coram exponere vel expendere, fuerit animus.

Ad calcem adieci *Indicem Chronologicum*, de quo nonnulla ſuperſunt monenda. Hic nempe anno proxime elapſo ſub *Prodromi* nomine publice prodierat; nunc vero tertiam huius Opusculi partem abſolvet. Eius, ut ſpero, *dos*, vel certe, quem mihi propoſui, *finis*, est triplex.

1°. Vt iusta annorum ſerie uno conſpectu exhibeam omnia Federa, Pacta Conventa, Capitulationes, Edicta, Leges Navales et Mercatorias; verbo! quidquid negotiorum gesſit Federata Respublica Belgica cum exteris potisſimum Gentibus. Cuiusmodi peculiaris *Index*, nusquam quod ſciam, occurrit.

2°. Vt

2°. Vt non modo Belgis meis, ſed et potisſimum Exteris, aperiam Fontes, quos, Belgae! habemus ditisſimos; ſed quorum quamplurimi, propter rariorem ſermonis Belgici uſum, exteris parum ſunt cogniti.

3°. Vt, excitatis ad ſingula Pacta multis, iisque diverſi ſaepe generis, fontibus, ſcriptoribus, linguisque, lectori in promtu ſemper adſit unus vel alter eorum, qui conſulatur, Scriptor.

Fontes rerum nosſe, multis in caſibus dimidiam Operis partem abſolvit.

Non dubito tamen fore nonnullos, qui rerum Belgicarum gnari me incuſent, quod non omnia dederim, quae dari potuisſent, vel e contrario multa adiecerim, quibus carere potuisſent Belgae. Sed quemadmodum dies diem docet; ita mearum mihi virium conſcius ſiquid in his peccatum deprecor! Solent quaevis primordia esſe rudia. Viam ingresſus ſum hactenus tritam nemini. Fabricando fabri ſimus. Sed et habeo, quod pro me dicam. In tam immenſo rerum ac librorum, quos conſulere debui, ut ita dicam, oceano facile quid praetervidere potui, (et praetervidi, ingenue fateor!) multa, ſive Federa, ſive minoris momenti Acta, ſive Fontes, quos omnes conſulere vix humanae fuisſet diligen-

 tiae.

tiae. Sed haec vel tempus vel aliorum ſuppleat induſtria! Contra, quod alia, et forte extranea, nonnulla adiecerim; habet et haec ratio ſuam excuſationem; neque eius etiam generis ſunt omnia, quae prima ſpecie videntur. Nam quod ad ea, quae ante Rempublicam liberam proſtant: quum CAPP. I. et IV. tradam *Origines* Reipublicae Belgicae, ſimul et ortum, progresſus, ac fata *Mercaturae* et *Navigationis* ſub Principibus Belgis; non potui non attingere Federa atque Edicta horum Principum ac Mercaturae Privilegia, ea praeſertim, quorum et ſub Republica valuit uſus; e. gr. Federa n. 89, 125. Leges Navales ſub PHILIPPO Mariae filio, et CAROLO V. n. 83, 120. quas Leges in tractanda re maritima negligere, haud tutum, penitus ignorare, putidum foret. Idem dixeris procul dubio de Mercaturae Privilegiis n. 1, 8, 9. cett. Neque tamen alia ex his dedi, quam quorum in *primis* hisce *Lineis* vel ulteriore earum coram Auditoribus expoſitione mentionem iniicio. Quod ad liberam Rempublicam! multa quidem dantur, quae prima fronte *ad Belgas* haud ſpectare exiſtimaveris; quae tamen vel penitus huc ſpectant, vel nexum tam arctum cum rebus Belgicis habent, ut omitti tuto non posſe viderentur. Huiusmodi esſe putaram *illa* exterarum gentium *Federa*, quibus Belgarum Ordines tamquam *Moderatores*, *Arbitri*, vel *Fideiusſores*, intercesſerunt vel adſtiterunt; quae ſane in gloriam Gentis

Bel-

Digitized by Google

Belgicae numero haud pauca exſtant; *alia*, quae etſi nomen Ordinum Belgg. non pronunciant, tamen vel adverſus Belgas, ſive diſerte ſive ex obliquo, vel in Belgarum favorem vel defenſionem inita fuere, quaeqne noſſe iccirco Belgici civis perquam interest; *nonnulla*, quae, inter alios utcumque populos ſociata, ab Belgis tamen vel ad tempus, vel aliis ex cauſſis, ſunt invocata vel adhibita; uti Federa *Hanſeatica* n. 416, 469.; porro *plura*, quae ex bello quopiam ſociali, cui immixti fuerant *Belgae*, originem trahunt; uti in Pace *Neomagenſi* a. 1678. *Ryſvicenſi* a. 1697. *Rheno-Traiectenſi* a. 1713. Multas etiam attigi Controverſias exteras, in primis *Territoriales*, ad quas componendas ipſi Ordines vel operam vel conſilia, vel pecunias, immo *Copias* Militares atque *Praeſidia* contulerunt; et unde larga ſaepe Actorum Pactorumque Materies; cuius generis exempla in rebus *Friſiae Orientalis*, antequam haec Regio iuris *Boruſſici* evaſit n. 236, 388.; in Ducatu Clivenſi et Regionibus proxime adiacentibus, ubi, ex imploratis Reipublicae *Subſidiis* vel *Conſiliis*, illa *Cohortes* ſuas *Praeſidiarias* diu collocatas habuit n. 411, 414, 415. Vt omittam res Gelriae Superioris, Brabantinas, Flandricas, Limburgicas, Benthemenſes, praeſertim Federa *Propugnaculi* (*des Traités de Barriere*) eorumque ſequelas. Neceſſe inſuper duxi adiicere, quae proxime ad Principes Auriacos ac Belgarum Gubernatores, eorum-

que

que inſignes Poſſeſſiones in Belgio, pertinent; ſiquidem (ut ex ipſa Hiſtorica expoſitione p. 124. ſqq. manifeste apparet), multa ſunt Belgarum Federatorum Acta, Decreta, Federa, Conventiones, quae ſine his rite perſpectis intelligi nequeunt; ſaepeque de his, de eorum bonis, de ſucceſſione in Principatum etiam Arauſionenſem, et id genus aliis, cautum et actum est in *Federibus Belgicis*, quemadmodum, ſi reſpexeris ad ea, quae tempore *Induciarum* et *Pacis Monasterienſis* habentur n. 248, 255, 268, 407, 418, 421.; ad ea, quae de oppigneratis Bonis Ducatus Brabantiae, in iisque Oppido *Moſa-Traiectenſi*, inter Regem Hiſpaniae et Principem WILHELMVM III. Gubernatorem inita Pacta ſunt n. 753. et quae deinceps ſaepe invocarunt ipſi Ordines Federati n. 929. facile patebit. Ecquis etiam de Controverſiis inter Regem Boruſſiae ac Principes Arauſionenſes ab a. 1702. ſqq. agitatis, recte iudicaverit, niſi in promtu habeat Testamenta Principum Arauſionenſium, aliaque Acta prioris temporis Publica; adiunctis quae expoſita deinceps ſunt n. 852, 857, 862—865, 918, 919. Neque ſilentio involvi, quae, publice quamquam proſtant, *ſublestae* tamen *fidei* Acta cenſeri poſſint, ut n. 432. quaeve propter defectum *Ratihabitionis*, vel aliis ex cauſſis, non valuerunt, ut n. 96, 296, 458, 473, 480, 936.

De

De rebus autem exteris duntaxat ſollicitus privatas inter Provincias *Controverſias* non attigi, niſi quatenus illae nexum cum gentibus exteris habebant, certe habere mihi videbantur; cuiusmodi cum OLIVARIO CROMWELLO a. 1654. circa Gubernatores Belgas n. 462. et quae de *Ordine Maltenſi* ac *Teutonico* n. 535, 547. gesta in Belgio fuere.

Quum vero ex inſigni Mercaturae neceſſitate Belgarum quammaxime interſit, non modo noſſe, quid ſibi ex pactis legibusque liceat, quidve aliis concedant, quaeque iura ſint *Conſulum*, qui mercaturae curam agant; et haec addenda curavi. Nec praetermiſi quae de *Legatis* in Belgio ſunt iura conſtituta vel conventa; ſiquidem et ea inſignem *Rei Diplomaticae* partem iusto titulo abſolvunt, uti ipſum nomen *Corps Diplomatique* iis adhaeret.

Adieci nonnulla Inedita, ac Fontes, ubi latent; eo ſcilicet conſilio, ut ſciant Hiſtoriae nostrae amantes, quid, ubique, exſtent; ut n. 35, 44, 46, 48—50, 52—55, 57, 517. etc.

Vtinam vero in Belgio eadem de theſauris *latentibus* conquerendi non eſſet occaſio atque aliis in Regionibus. Ab exteris duo duntaxat promam exempla, quorum alterum etiam nos propius tanget.

Vir

Vir Doct. DE BRÉQUIGNY, de genuina Regni Gallici Hiſtoria, una cum MORAVIO (1) praeclare meritus, et qui publica auctoritate in Angliam ad perſcrutanda Archiva miſsus erat et admiſsus, conſpectum nobis exhibet (2) eorum, quae ad explicandas res Gallicas adhuc deliteſcunt in *Archivis Anglicis*, inſignia Monumenta, praeſertim in *Turri Londinenſi*, quorum quidem Catalogum edidit THOMAS CARTE; ſed quae perexiguam duntaxat partem abſolvunt Diplomatum et Actorum publicorum, quae ſuperſunt *Originalia* in Camera *Rationum* (vul-

---

(1) Innuo hic Galliae Hiſtoriographum MOREAU, *Principes de Morale, de Politique & de Droit Public, puiſés dans l'Hiſtoire de notre Monarchie, où Discours ſur l'Hiſtoire de France*, cuius, ut hcc obiter addam, ſcripta, quorum a. 1789. Tomus XXI. 8vo. prodiit, vel hoc ſolo nomine lectu digniſsima et unicuique commendanda, quod ad veras origines, progreſsus, ac priſtinum immenſi istius Regni ac Populi Gallici ſub Regibus ſuis varias per Epochas ſtatum, et ad diverſa publici Regiminis fata recte intelligenda, ad civium ſingularum claſsium iuxta ac Regia iura et bona discernenda, et ad vera ab falſis regundi principiis distinguenda, plus me iudice conferant quam ſexcenti alii, qui nostris diebus in lucem quotidie protruduntur in Gallia libri et libelli.

(2) *Les Memoires de l'Academie des Inſcriptions & des Belles Lettres de Paris*, Tom. XXXVII. p. 528. ſqq.

Digitized by Google

(vulgo *l'Exchequer*). Inſigniter etiam de Re Anglica meritus eſt THOMAS RYMER, qui *Federum* Collectionem per XX. Volumina produxit usque ad a. 1654. Huius autem *Collectionis Rymerianae*, eodem monente DE BRÉQUIGNY p. 532. latet adhuc inſigne in *Bibliotheca Britannicâ* ſupplementum, ipſo Opere maius; quippe quod deſcriptum proſtat LIX. Voll. in folio. Quod ad alterum: ſervat Bibliotheca Publica Abbatiae *St. Vincentii*, in oppido *Veſontione*, immenſam Collectionem *Codicum* MSS. *Originalium*, qui LXXX. Volumina in folio complectuntur, eorum omnium, quae Res Belgarum et Acta potisſimum CAROLI V. et PHILIPPI Regis in Belgio enarrant, in quibus eminent IV. Voll., quibus *Federa Pacis* continentur (3).

Haec autem quantum lucis rebus Belgicis per ea tempora geſtis conciliatura esſent, non opus est dicam.

De

(3) Hauſi haec ex Commentariis, titulo: *Les Memoires de l'Academie Imperiale des Sciences et Belles-Lettres de Bruxelles*, Praefat. Tom. II. p. 44. ſqq. ubi etiam memoratur Volumen ſpeciale, *qui contient la plûpart des pièces d'Etat du Siècle de l'Empereur Charles quint, dont aucunes ſont retouchées de ſa main & de celle du Chancelier* NICOLAS PERRENOT DE GRANVELLE.

Digitized by Google

De ſequentibus temporibus quot quantaque et ubinam lateant, coniicere vel profari, hic non attinet. Laetiora de his ſperare licet.

Supereſt, ut, quibus uſus ſim libris, paucis expediam. De exteris *Collectionibus*, vulgo cognitis, uti ſunt DV MONT, RYMER, ROVSSET, LVNIG, LONDORP, etc. nihil dicam. In uſum eorum, qui, unde haurienda Diplomata ac Federa, noſſe velint, commendari de meliore nota poteſt opus PETRI GEORGISCH, cuius titulus: *Regeſta Chronologico-Diplomatica, in quibus recenſentur omnis generis Monumenta et Documenta publica, uti ſunt Tabulae Conventionum, Foederum, Pacis, Armiſtitiorum, Mutuae Amicitiae —— —— nec non Capitulationes, Concordata, Sanctiones Pragmaticae, Pacta Conventa*, etc. Francof. 1740. IV. Voll. fol. quo et ego ita ſum uſus, ut nonnunquam compendii ergo eius Nomen apponerem, ſi quis forte plures noſſe Scriptores deſideraret, uti n. 351, 391, 418. Eodem etiam modo uſus ſum GEORG. FRID. MARTENS libro (4), cuius in calce adiectus eſt Index, ex quo hauriri poſſunt *praecipua Fedeta Pacis, Commercio-*

(4) *Primae Lineae Iuris Gentium Europaearum Practici*, Goting. a. 1785. 8vo.

ciorum, etc. inde ab a. 1748—1785. Huic Scriptorum Bigae ſi adieceris eas *Diplomatum* ac *Federum* Collectiones et Scriptores, cum *Germanos*, tum *alios*, quos recenſent Scripta MOSERIANA, ACHENWALLI (5), GVNTHERI (6), una *cum Codice Iuris Gentium recentisſimi* FRID. AVG. GVIL. WENCKII, cuius Tomus *Secundus* a. 1788. 8vo. Lipſiae prodiit; vix est quod quisquam ab hac parte deſideret.

In recenſendis vero atque indicandis Scriptoribus ac Fontibus Belgicis otium fere mihi fecit induſtria Viri Doct. PAQUOT, *dans ſes Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire Litteraire des* XVII. *Provinces des Pays-Bas*, XVIII. Voll. 8vo. a. 1763. Lovan. et qui univerſum Scriptorum ambitum ſumma cura comple-

(5) GOTTFRIED ACHENWALL, Geſchichte der Allgemeineren Europäiſchen Staatshandel des vorigen und jetzigen Jahrhunderts, im Grundriſſe, a. 1767. 3. Edit. 8vo. Et *Iuris Gentium Europaei Practici Primae Lineae*, a. 1775. 8vo.

(6) KARL GOTTLOB GUNTHER, Europäiſches Völkerrecht in Friedenszeiten nach Vernunft Verträgen und Herkommen — entworfen, a. 1787. 8vo. qui p. 43. ſqq. 65, 66. una cum MARTENS l. l. p. 9. et 15. ſcripta Illuſtr. IO. IAC. MOSERI recenſet.

Digitized by Google

plexus est Vir Clar. CHRISTOPHORVS SAXIVS, in *Onomaſtico Literario* ſive *Nomenclatore Hiſtorico-Critico praeſtantisſimorum omnis aetatis, — — ſcriptorum, — usque ad ſaeculi, quod vivimus, tempora digesto* — Traiect. ad Rhen. VI. Voll. 8vo.

De Collectionibus Federum, Diplomatum, Edictorum, ac Legum, publica auctoritate promulgatis, in ipſo dicam Opere.

Ad res noſtra aetate geſtas nullum maioris momenti opus hactenus Belgica agnoſcit, quam Annales, quos vernacule vocant *Nederlandſche Jaarboeken, inhoudende een Verhaal van de merkwaardigſte Geſchiedenisſen, die voorgevallen zyn binnen den omtrek der Vereenigde Provincien, ſederd het begin van 't Jaar* 1747 — 1766. Amſt. 8vo. in hunc usque diem continuatos, ſub titulo: *Nieuwe Nederlandſche Jaarboeken.*

Supereſt, ut de *Notis Chronicis* nonnihil dicam. Exſtat nempe in *uno* Federe duplex nonnunquam *Anni nota*. Verbigratia, a. $\frac{1295.}{1296.}$ d. 9. Ian. et a. $\frac{1308.}{1309.}$ d. 24. Mart. Habet hic computus rationem ſuam atque explicationem in uſu Chronologico *ſtili* quem vocant *Paſchalis*, in Europa olim uſitatisſimi, ex quo *praecedentis* anni computatio, non, uti hodie, ces-

ceſſabat d. 31. Decembris, ſed continuabatur usque ad *Mobile Feſtum Paſchatis* anni *ſequentis*: unde qui ex calculo hodierno est annus 1296. ſcribebatur 1295. donec Paſcha adesſet. Duravit hic mos usque ad a. 1575.

Aliud obtinet in diverſitate *aliquot dierum*, e. gr. Scribitur annus 1621. d. $\frac{14}{24}$. Maii, A. 1623. d. $\frac{21.\ Apr.}{1.\ Maii}$, A. 1713. d. $\frac{19}{30}$. Ian. Oritur illud ex Diverſitate *Calendarii Iuliani* et *Gregoriani*, vulgo *oude en nieuwe ſtyl*; quae differentia, post emendatum a. 1582. *calculum Julianum*, omnibus Gentibus non eodem tempore receptum, in multis Fedd. Europaeis cernitur. Ne quis igitur duo diverſi generis Federa, ubi unum tantummodo esſet, indicari cenſeat, notavi fere diverſitatem, ubi ſe offerebat. Est autem ea usque ad a. Chr. Nati 1700. diſtinctio X. dierum, qui in eodem *Menſe* ſic notatur $\frac{3}{13}$. Novembr. (n. 472.) vel in transitu ad alium Menſem, d. $\frac{23.\ Nov.}{3.\ Dec.}$ (n. 473.), in transitu vero ad annum ſequentem hoc modo: a. $\frac{1677.}{1678.}$ d. $\frac{31.\ Dec.}{10.\ Ian.}$ (n. 701.). Hoc vero quo vivimus ſeculo diſcrimen est XI. dierum. Quae ratio est, cur Fedus, ex veteri calculo a. 1713. d. 19. Ian. adſcriptum, alio loco connectatur d. 30. Ian. (n. 907.) et Pax Traiectenſis a. 1713. d. $\frac{31.\ Mart.}{11.\ Apr.}$ (n. 909.). Hoc tamen

men discrimen non ubique anxie obſervavi; nec unquam niſi ipſa praeirent Federa vel Scriptores; in ceteris calculum ſecutus hodiernum. De his autem Notis *Chronicis* conſuli poteſt Opus egregium Benedictinorum S. Mauri, *l'Art de vérifier les Dates des Faits Hiſtoriques*, *des Chartes*, etc. Diſſertationes praevia, Paris 1770. fol. et ed. recent. 1783. et qui multa paucis complexus eſt G. BEVEREGIVS *Inſtitut. Chronolog.* p. 43. Ed. Traiect. ad Rhen. 1734. Si tamen nec in his errores commiſiſſem, ſupra humanas egiſſem vires. Quare et hos deprecor.

PRI-

Digitized by Google

PRIMAE LINEAE

HISTORIAE FEDERVM BELGII FEDERATI.

INTRODVCTIO.

§. I. Si ab Belgarum Federatorum Republica discesſeris, nulla Gens usquam reperietur, quae, ex tam parvis orta initiis, tam ſerae originis, et angustis adeo circumſcripta limitibus, intra tam breve temporis ſpatium, ad tantum dignitatis et honoris, virium et potentiae, fastigium adſcenderit; nulla, quae plura bellicae virtutis, conſtantiae, ſidei, veraeque libertatis ac patriae amoris exempla ediderit; quae tam diverſis exercita fatis, tot moderatis uſa conſiliis, tanta caſuum atque eventuum varietate et felici rerum ſuccesſu ſit nobilitata; denique quae tot heroum fama celebratorum copia abundaverit, et per egregias *prudentiae Politicae* regulas ac praecepta, tantopere exiſtimationi ſuae apud exteros, civiumque proſperitati, ſaluti et tranquillitati internae proſpexerit; poſtremo, quae nominis ſui famam quaquaverſum ita circumtulerit, ut eius amicitiam Vtilitas Operis.

non modo omnes fere Gentes Europaeae variis temporibus ambitioſe quaeſiverint, prenſaverint, coluerint; ſed eam remotisſimi quoque Orientis et Occidentis populi ſollemnibus legationibus cohoneſtaverint; et, qui rei cardo est, quâcum tot Federa Amicitiae, Defenſionis, Navigationis, Commercii, aliaque Negotia, pro exiguo temporum ſpatio, quo Belgarum illa Respublica viguit, conſociaverint.

Horum Belgarum esſe civem, quam est gloriosum! Horum res gestas, nexum, et conſociationes cum aliis Gentibus noſſe, quam est utile et amoenum! Et harum rerum notitia ita imbui, ut, qui ad clavum Reipublicae admoveri cupiant, (quae fors quamplurimis obtingere ſolet) ſuam quisque conferre posſint opem ad promovendam et ſuſtentandam ſuae Gentis tranquillitatem ac felicitatem, quam est necesſarium!

Tractandi ratio. §. II. Tractandi ratio varia esſe potest; prouti vel diverſa Federum diviſio, vel temporum, vel gentium, quibuscum agitur, vel tractandarum rerum praeſcribit Argumentum. Mihi quidem ille placebit Ordo, quo recenſebo:

1. *Federa*, quae ſpectant ad partam Reipublicae Federatae libertatem.

2. Quae complectuntur Posſesſionum integritatem ac ſecuritatem.

3.

3. Quae Populi Felicitatem ſtabiliunt.

4. Quae ipſius dignitatem, honorem et exiſtimationem promoverit. Quae his X Capitibus comprehendam. Dicam nempe

CAP. I. Illa *Federa*, quibus Belgarum Respublica coaluit, adolevit, et ſtabilita est, inde a primo turbarum tempore usque ad Pacem Monaſterienſem a. 1648.

CAP. II. *Federa*, quibus ipſum Belgii Territorium est asſertum, eiusque limites in Europa deſcripti; eaque occaſione tangam fata et origines earum posſesſionum; quaeque circa has fuerint quaeſtiones ac controverſiae cum aliis Gentibus ultro citroque agitatae, pactisque compoſitae.

CAP. III. *Federa*, quae *Belli Pacisque* negotia moderantur, inita cum Gentibus Europaeis ſingulatim recenſendis.

CAP. IV. *Federa Commerciorum* cum ſingulis Gentibus Europaeis, inde ab Belgarum prima aetate.

CAP. V. Explicabo Federa et nexum Reipublicae Belg. cum Gentibus extra Europam, in primis quae pertinent ad originem, progresſum, et commoda navigationis in Indiam Orientalem et Occidentalem, erectasque hunc in finem *Societates Mercatorias*, earumque Privilegia.

CAP. VI. Tangam obortas identidem Con-

troverſias cum Gentibus Europaeis, partim de his *territoriis* extra Europam ſitis, partim de ipſo *Navigationis* et *Commercii* exercendi iure agitatas.

CAP. VII. Recenſebo reliqua minoris momenti Federa, ſic dictas *Capitulationes*, aliaque Pacta Conventa, variis de cauſis peculiaribus, cum *Pacis*, tum *Belli* tempore, cum Gentibus, amicis et inimicis, conſociata.

CAP. VIII. Exhibebo peculiaria illa et ſingularia alicuius momenti Capita et Argumenta, quae in Belgarum potisſimum Federibus obſervari merentur, quaeque Reipublicae noſtrae prae aliis Gentibus ad promovenda commoda civium ac tranquillam mercatorum *Navigationem*, *Piſcaturam*, *Mercaturam*, *Commorationemque* apud exteros, quam maxime curae cordique eſſe ſolebant, et ſolent adhuc.

CAP. IX. Sollemnes ritus et caerimonias circa *modum* pangendi Federa obſervatas, eorumdem requiſita, nec non Belgarum, quae vocantur, *Mediationes*, *Arbitria*, *Fideiusſiones*, *Guarantias*, etc.

CAP. X. Denique ea, quae pertinent ad Legatos cum aliunde ad Belgas misſos, tum ad ipſos Belgarum Legatos apud exteros degentes; eorumque iura, honores, immunitates, ſollemnia, recenſebo.

§. III.

Digitized by Google

§. III. Fontes, unde neceſſaria Federum Belgarum cognitio haurienda, admodum ſunt varii, inſignisque est ſubſidiorum copia. Ne autem falcem in alienam meſſem immittam, *iuris quidem Publici Doctoribus* relinquam, commendabo tamen omnibus iis, qui *Hiſtoriam Federum Belgicorum* diligentius excolere ſatagant, ſcriptores, qui *Iuris Gentium Vniverſalis* Principia tradunt, in primis ubi *Federa* tractant; uti ſunt GROTIVS, PVFENDORFFIVS, WOLFFIVS, quique mutato ordine WOLFFIVM ſecutus est DE VATTEL (1). Fontes.

His iunguntur, qui *Iuris Gentium* potisſimum *Europaei Practici*, cum Conſuetudinarii, tam Pacticii, Principia ex profeſſo conſcripſerunt; quorum inſignem catalogum exhibet Vir Clar. GEO. FRID. MARTENS (2), et in quibus agmen ducunt recenſita illic ſcripta IOH. IAC. MOSERI, „ *qui primus Ius Gentium practicum* „ *ſe-*

---

(1) *Le Droit des Gens ou Principes de la loi Naturelle appliqués à la conduite & aux affaires des Nations & des Souverains*, Lond. 1753. 2 Tom. 4to. ſaepe deinde recuſus. Add. Mr. DE REAL, *Science du Gouvernement* VIII. Voll. 4to.

(2) *Primae Lineae Iuris Gentium Europaearum Practici in uſum Auditorum adumbratae*, Gott. 1785. p. 7. ſqq. 8vo.

Digitized by Google

„ *ſeparatum a Iure Gentium Vniverſali ex in-*
„ *ſtituto tradere coepit.*" Nec non, qui reliqua abſolvit Vir Clar. CAR. GOTTL. GVNTHERVS (3).

§. IV. Quantum ad ſcopum noſtrum primarium; Fontes, unde *Federum* petenda eſt cognitio, ſunt vel *communes*, vel *proprii* ſingulis Gentibus, quibus Belgarum cum Republica res eſt.

Ad priores refero, cum generales tum ſpeciales *Federum Collectiones* ſive *Corpora Diplomatica.*

In *generalibus* eminent J. DU MONT *Corps Univerſel Diplomatique du Droit des Gens, contenant un Récueil des Traités d'Alliance, de Paix, de Tréve, de Neutralité, de Commerce* etc. *depuis Charlemagne jusqu'à préſent.*, Amſt. et Hag. 1726—1731. VIII. Voll. fol.

Quibus *Supplementi* nomine poſtea acceſſerunt V. Voll. hoc titulo: Mr. ROUSSET, *Supplement au Corps Univerſel Diplomatique du Droit des Gens, contenant un Recueil des Traités, qui ont échappé aux recherches de* Mr. DU MONT, Amſt. et Hag. 1739. ſqq.

Mer-

(3) Idiomate German. Europäiſches Volkerrecht in Friedenszeiten nach Vernunft, Verträgen und Herkommen, — Erſter Theil, Altenburg 1787. p. 52. ſqq. 8vo.

Mercure Hiſtorique & Politique, inde ab a. 1686 – 1780. CLXXXVII. Voll. 12mo.

Ad *ſpeciales* pertinent ii, qui nonnulla *Acta* vel *Federa* recenſent, in quibus eminent IOHAN GOTTFRIED VON MEYERN, *Acta Pacis Westphalicae Publica*, Hanov. 1734. IV. Voll. fol.

J. LE CLERC, (ſuppreſſo nomine) *Négociations Secrètes de la Cour de France, touchant la Paix de Munſter & d'Osnabrug*, Hag. 1725. ſqq. IV. Voll. fol.

Actes & Memoires des Négotiations de la Paix de Nimegue, 1680. IV. Voll. 12mo.

Actes & Memoires des Négotiations de la Paix de Ryswic (par ADR. MOETJENS) Hag. 1699. 12mo. Nov. Ed. 1707. 12mo.

Actes Memoires & autres Pièces autentiques concernants la Paix d'Utrecht, 1714. ſqq. VI. Tom. 12mo.

ROUSSET, *Recueil Hiſtorique d'Actes Négotiations Memoires & Traités depuis la Paix d'Utrecht jusqu'à celle d'Aix la Chapelle*, Amſt. et Hag. 1728. ſqq. XX. Voll. 8vo. et quos plures laudant MARTENS l. l. p. 13. et GVNTHER. p. 55. ſqq. Add. GOTTFR. ACHENWALL, Geſchichte der Allgemeineren Europäiſchen Staatshandel des vorigen und ietzigen Jahrhunderts, im Grundriſſe, a. 1767. 3 Edit. 8vo.

 §. V.

§. V. Ad fontes ſingulis gentibus proprios refero *particulares* Federum aliarum Gentium Collectiones. E. G. GALLIAE.

FR. LEONARDI, *Recueil de Traités de Paix, de Trève, de Neutralité &c. faits par les Rois de France avec tous les Princes de l'Europe depuis prés de trois ſiècles.* Par. 1693. VI. Voll. 4to.

MAGNAE BRITANNIAE.

THOMAE RYMERI, Federa, Conventiones, et Acta Publica inter Reges Angliae et quosvis Imper. Reges, etc. ab a. 1101 — 1654. fol.

Ed. Londin. 1704. ſqq. XX. Voll.

Ed. Hag. Com. 1739. ſqq. X. Voll.

A Collection of all the Treaties between Great Brittain and other Powers, Lond. 1688 —— 1771. II. Voll. 8vo. cum *Supplemento*, Lond. 1781. 8vo.

Ne alios memorem, infra excitandos.

§. VI. Belgarum vero *proprii* fontes, ſunt vel maxime

1. *Codex Legum Belgicarum*, vulgo: *Het Groot Placaat-Boek van* CAU *en* SCHELTUS, VII. Voll. fol. et CODICES Legum *Gelriae*, *Trajecti*, *Friſiae*, *Brabantiae* et *Flandriae*, (Belg. *de Placaatboeken van Gelderland*, *Utrecht*, *Vriesland*, *Brabant en Vlaanderen*) multis Voll. fol.

2.

2. Eiusdem SCHELTVS cura prodiit: *Recueil van de Tractaten, gemaeckt ende geſloten tusſchen de HH. Mog. Heeren Staten Generael der Vereenigde Nederlanden, en verſcheiden Koningen, Princen, en Potentaten;* et *Vervolg van 't Recueil*, etc. ab a. 1576—1784. II. Voll. 4to.

3. *Recueil van alle de Placaten, Ordonnantien*, etc. *betreffende de Admiraliteyten, Convoyen, Licenten, en verdere Zeezaeken*, a. 1730. ſqq. VII. Voll. 4to.

4. Magnum etiam rebus Belgicis hoc ſeculo geſtis momentum adfert DE LAMBERTY, *Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire du XVIII. Siècle, contenant les Négociations, Traités, Reſolutions, & autres Documens Authentiques, concernant les Affaires d'état & particulierement de ce qui s'est paſſé à la Haye*, Amſt. 1724—1740. XIV. Voll. 4to.

In iis vero, qui *Fœdera* Belgarum *primaria*, adiectis narrationibus Hiſtoricis et Obſervationibus, in tabulas redegerunt, inſignem uſum praeſtant:

a). LEO [LIEUWE] AB AITZEMA, *Hiſtorie of Verhael van Saken van Staet en Oorlogh in en omtrent de Vereenigde Nederlanden, ſedert den Jare* 1621—1669. a. 1651. ſqq. XIV. Voll. 4to. et VI. Voll. fol.

Digitized by Google

b). Eius Continuator LAMBERT. SYLVIVS, (Belg. LAMB. VAN DEN BOSCH) *Vervolg van* AITZEMA, *Zaken van Staet en Oorlog*, a. 1690. IV. Voll. fol.

c). Aequalis SYLVIO Liber Belgicus, HOLLANDSCHE MERCURIUS, *behelzende het gedenkwaerdigſte in 't Christenryk voorgevallen, ſedert a.* 1650 — 1690. Harlem. VIII. Voll. 4to.

d). His ſuccesſit MERCVRIVS EVROPAEVS, Belg. Edit. titulo: *Europiſche Mercurius, behelzende al 't voornaemſte van de Zaken van Staet en Oorlog in Europa*, ab a. 1690 — 1756. LXVI. Voll. 4to.

e). Ad res noſtra aetate cum populis exteris geſtas inſignem uſum praeſtant *Annales Belgici* vulgo: *de Nederlandſche Jaerboeken*, eorumque Supplementa (*Byvoegſels*) et Continuatio, titulo: *de Nieuwe Nederlandſche Jaerboeken*, *inhoudende een Verhael van de merkwaerdigſte Geſchiedenisſen, die voorgevallen zyn binnen den omtrek der Vereenigde Provincien, ſedert het jaer* 1747. qui et adhuc magna cum laude continuantur.

§. VII. Brevem ac ſuccinctam Argumentorum, omnibus Federibus Gentium Europae contentorum inde ab a. 1598 – 1678. narrationem ſuggerit opus utilisſimum: *Hiſtoire des Traités de Paix & autres Négotiations du Dix-Septieme Siècle, depuis la Paix de Vervins jusqu'à*

la

la Paix de Nimegue. Ouvrage, qui peut ſervir d'introduction au Corps Diplomatique ou Recueil de Traités de Paix, etc. Amſt. et Hag. 1725. II. Voll. fol.

Illuſtrandis vero Federibus ab Pace inde Weſtphalica faciunt:

MABLY, *le Droit Public de l'Europe, fondé ſur les Traités, precédé des Principes des Negotiations, avec des Remarques Hiſtoriques, Politiques & Critiques.* Liber ſaepe editus, etiam per ROVSSET 1766. III. Voll. 8vo. et 1773. *dans ſes Oeuvres Politiques*, IV. Voll. 8vo.

[MAUBERT] *Hiſtoire Politique du Siècle, ou ſe voit developpée la conduite de toutes les Cours, depuis la Paix de Weſtphalie, jusqu'à la derniere Paix d'Aix la Chapelle*, Lond. 1754. II. Voll. 8vo. cuius Pars prior ampliore deinde Commentario illuſtrata prodiit Lond. 1757. 4to.

Omnium vero Federum, quotquot inter Gentes edita publice proſtant, Catalogum ſive Repertorium Generale exhibet PETRVS GEORGISCH, *Regesta Chronologico-Diplomatica, in quibus recenſentur omnis generis Monumenta et Documenta publica, uti ſunt Tabulae Conventionum, Foederum, Pacis, Armiſtitiorum, Mutuae Amicitiae. —— Nec non Capitulationes, Concordata, Sanctiones Pragmaticae, Pacta Conventa*, etc. *iuxta annorum plerumque ſeriem di-*

digeſta: Opus Belgis parum cognitum, ſed noſcendis et investigandis ipſis Federum Tabulis usque ad a. 1732. utilisſimum, Hal. 1740. ſqq. IV. Voll. fol. (4).

His addantur *Commentarii* ac *Libri Memoriales*, (*Memoires*), *Epiſtolae*, aliaque ſubſidia *Literaria*, quorum recenſum dabit idem MARTENSIVS (5). Qui ex his res Belgicas tractant, praecipui ſunt:

Négociations du Preſident JEANNIN, Par. 1656. fol. 1659. 12mo.

Lettres Memoires & Negociations du CHEV. CARLETON, *Ambasſadeur aupres des Etats-Généraux*, Hag. 1759. III. Voll. 8vo.

D'ESTRADES, *Lettres Memoires & Negociations*, IX. Voll. cum *Supplemento*, Lond. 1743. 12mo, et alibi.

D'AVAUX, *Negociations en Hollande, depuis* 1679—1688. Par. 1753. VI. Voll. 8vo.

LOUIS

(4) Quem laudavi nonnunquam in adiecto *Indice Chronologico Federum*, ad calcem huius Epitomes.

(5) L. l. p. 14—16. quosque inſuper laudat de his agentes, KORTMART *Abregé des Memoires Illuſtres*, Dresd. 1689. 12mo. J. B. MENCKE *de Commentariis Hiſtoricis, quos Galli Mémoires vocant*, Lipſ. 1708. 4to.

Digitized by Google

LOUIS AUBERY, *Seigneur du Maurier, Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire de Hollande*, Pariſ. a. 1680. 12mo.

DE GUICHE, *Memoires, concernant les Provinces Unies des Pais-Bas, ſervant de Supplement a ceux du* MAURIER *&* D'ESTRADES, Lond. 1744.

Memoires de l'Abbé MONTGON, a. 1750. VIII. Voll. 12mo.

Denique Scripta Syndici Hollandiae (vulgo *Raadpenſionaris*) IOH. WITTIADAE, titulo: *Brieven geſchreven en gewisſeld 'tusſchen den Heer* JOHAN DE WIT, *en de Gevolmachtigden van den Staet der Vereenigde Nederlanden, ſo in Vrankryk, Engelant, Sweden, Denemarken, Poolen, in de Jaren* 1652–1669. a. 1723. VI. Voll. 4to.

Nec non Liber ſingularis, cui nomen: *Verbael gehouden door de Heeren* H. VAN BEVERNING, W. NIEUPOORT, J. VAN DE PERRE, *en* A. P. JONGESTAL, *als Gedeputeerden en Extraordinaris Ambasſadeurs van de Staten Generael aen de Republiek van Engeland — onder 't Protectoraet van* CROMWEL *en alle het gepasſeerde omtrent de berugte Acte van Secluſie des Princen van Oranje by* CROMWEL *gepretendeert.*

Ne nunc addam ea, quae hauriri posſunt ex iis ſcripto-

Digitized by Google

ſcriptoribus, qui Vitas Principum Arauſionenſium, qua Belgii Gubernatorum, WILHELMI I. II. III. IV. nec non MAVRITII, et FREDERICI HENRICI accurate delinearunt; in quibus eminent *Les Memoires de* FREDERIC HENRI *Prince d'Orange*, Amſt. 1733. 4to.

Poſtremo inſigne rebus Belgicis explicandis emolumentum adferunt ipſa *Decreta* et *Acta* cum *Ordinum Generalium* tum *Hollandiae*, ubi horum inſpiciendorum copia, ſemper, et per omnes temporum Epochas fieri poſſet; quod, paucis, et mihi, contigit. Ex his tamen nonnulla publici iuris facta ſunt in Libr. *Reſolutien van Conſideratie der Staten van Holland, ſederd de bediening van den Heer* JOHAN DE WIT *als Penſionaris*, a. 1706. 4to.

Et ſub eodem: *Secrete Reſolutien van de Staten van Holland, onderſcheiden van de Reſolutien van Conſideratie*, Trai. ad Rh. 1717. II. Voll. 4to.

Ex quibus nonnulla depromſit in *Probatt.* ſuis WICQUEFORT, *dans ſes Annales des Provinces Unies*, a. 1719. à la Haye 1743. Tom. II. fol. Iisdemque paſſim uſus eſt GERARDVS VAN LOON, Commentario Hiſtorico-Numismatico luculento, Hag. Com. 1723. IV. Voll. fol. ſub titulo: *Beſchryving der Nederlandſche Hiſtoriepenningen, of beknopt Verhael*

van

Digitized by Google

van 't gene ſedert de Overdracht der Heerſchappye van Keyzer KAREL V. *op Koning* PHILIPS, *zynen Zoon, tot het ſluiten van den Uytrechtſchen Vrede* [1713.] *in de XVII. Nederlandſche Geweſten is voorgevallen.*

Taceo Scriptores *Hiſtoricos*, cum Belgarum tum reliquarum Gentium, eos ſcil., qui res geſtas, ut geſtae ſunt, ex fide et ſine partium ſtudio recenſent, et ope Diplomatum ac Documentorum fide dignorum probant; cuiusmodi, ſi ad reliquos, qui res geſtas vel ex ingenio fingunt, vel deformant, vel Hiſtoriam magis Philoſophicam vel Politicam pro ſuo quisque ſyſtemate ſcribunt, reſpicias, perquam pauci apud nos ſunt (6). Laudari autem apprime meretur

PIETER BOR, *Nederlantſche Oorloghen, Beroerten ende Borgerlycke Oneenichheden*, ab a. 1555 — 1601. Amſt. 1621. VI. Voll. fol. et Nov. Edit. a. 1679. IV. Voll. fol.

Res Belgicas inde ab prima aetate, continua ſerie, laudabili opera, narravit

J. WAGENAAR, *Vaderlandſche Hiſtorie*, XXI. Voll. 8vo. ſatis notus.

Tan-

(6) De his ago in *Primis Lineis Diplomatico-Hiſtorico-Politicis, quae ſiſtunt Ius priſtinum Belgarum ſub Principibus hiſtorice enarratum*, a. 1780. 8vo. ad §. 9, 10.

Tandem ad cognoſcendas lites et controverſias inter Gentes Europaeas, inde a medio ſec. XV. usque ad nostra tempora faciunt

J. G. BUSCH, Grundriſs einer Geſchichte der Merkwürdigſten Welthandel, Hamb. 1783. 8vo.

CHRISTOPH. HERM. SCHWEDERI *Theatrum Hiſtoricum Praetenſionum et Controverſiarum Illustrium*, et auctum cura AD. FRID. GLAFEY, Lipſ. 1727. II. Voll. fol.

ROUSSET, *Traité des Interêts & des Prétenſions des Puiſſances de l'Europe*, Ed. II. Hag. 1741. III. Voll. 4to.

W. FR. PISTORII, *Diſſert. de Praetenſionibus Principum Europae*, in *Amoenit. Hiſtorico-Iuridicis*, P. III. p. 73. ſqq. et quae paſſim J. J. MOSERVS, aliique, in ſcriptis ſuis.

CAPVT PRIMVM.

SISTENS

FEDERA ET PACTA, QVIBVS BELGARVM FEDERATORVM RESPVBLICA COALVIT, ADOLEVIT ET STABILITA EST.

§. VIII. Antequam de ipſa Republica Belgica, eius origine, et firmato imperio dicere incipio, pauca de priſtino Europae ſtatu et Regionum Belgicarum cum illo nexu praemittam.

Statūs Europae Politicus.

Poſtquam *Imperium Romanum* mole ruit ſua, idque ipſum in duas abierat partes, quarum altera *Imperium* ſic dictum *Orientale*, cuius inſignem hodiedum portionem inde ab ſeculo XV. medio obtinet Turcarum Imperator; altera *Imperium Occidentale* complectebatur: hoc poſterius Nationes quaedam robuſtae ſed incultae ex plaga ſeptemtrionali emergentes, novasque ſibi ſedes quaerentes; quas communi nomine *Francos* illa aetas appellavit, manu militari invaſerunt, occuparunt; *novumque* in Europa *Regnum* conſtituerunt. Quod Regnum, uti prima erat origine *Militare*, ita *armis* potiſſimum vires acquiſivit eundo.

Erat per id temporis intervallum horrida quam maxime Europae facies, in primis verſus Septemtrionem; neglecta agricultura; nulla commercia; mores inculti; inſignis hominum inertia et inſcitia; regnandi ars ſeu vera imperii adminiſtrandi ratio ignorata, et ius in armis fere poſitum. Seculo vero IV—VIII. occupatis Regnique Francici ſceptro adiectis multis quaquaverſum gentibus, ineunte Seculo IX. *Francorum Regnum*, ſub CAROLO MAGNO, *Rege* et *Imperatore*, tam late patebat, ut omnem fere Europam ad Occidentem una cum magna Germaniae parte ambitu complecteretur ſuo. Nec quisquam ſieri haec tam facile potuiſſe crediderit, niſi haud abſimile noſtra aetate exemplum in ampliſſimo *Rusſorum* Imperio experiretur, ſive ſpectes ad formam Imperii, ſive ad mores diverſarum gentium inconditos, ad ſupinam civium ignorantiam, ad artes neglectas, ad inculta paſſim Territoria et regiones ſylvis horridas, et ad ſimplicem per venatum et piscatum ſuſtentandae vitae rationem, ſive id genus alia! Post inſtitutas vero inter CAROLI MAGNI liberos ac nepotes extenſisſimi huius Regni pro moribus et inſtitutis istius aevi multifarias Diviſiones, ſeculo X. duo potisſimum ſurrexerunt Regna, *Germanicum* et *Gallicum* ſive *Francicum*. Ex utroque hoc Regno, iterum, quamquam diverſo admodum habendi modo, orti ſunt complures ſeparatim, ſed nihilominus inſignes, *Principatus*, *Ducatus*, *Comitatus*, *Dominia*, immo et *Regna*; ac pedetentim originem ex his traxerunt Regna *Hispaniarum*, *Luſitaniae*, *Siciliae*, *Sardiniae*, *Italiae*, atque omnes fere Imperii Germanici Status ac Principatus. Vt mittam quae alia via coa-

lue-

fuerunt, Regna *Magnae Britanniae*, *Daniae*, *Norvagiae*, *Sueciae*.

§. IX. Omnes hae Gentes postquam ſuas ſibi res iure proprio agere coeperunt, quamvis forma regendi, moribus, natura, loco, viribus, inter ſe diverſae, tamen, prouti hodie ſe habent, ſi ad earum nexum ſpectes, communi quodam vinculo, ex mutuae felicitatis et tranquillitatis ſtudio inter ſe, magis atque olim, conſtringuntur (7). Is tamen nexus non ita arctus est conſiderandus, quin aliis ex cauſſis perpetua ſit disſociatio, et, ut ita dicam, *concordia discors*; eaque iam mature coorta est ex nimia *vicinia*, ex *aemulatione*, ex *commodorum* diverſitate, ex *virium* haud aequabili incremento, aliisque verae amicitiae liberas inter Gentes et aequales *impedimentis*. Vnde larga dein Bellorum, Pacis, Federum, aliorum Negotiorum, materies. Hinc deinceps ortum, quod Politici *Syſtema Aequilibrii* Europaei ſive *Trutinam Europae* dicere amant: quae, quatenus conſiſtit in prudenti moderamine virium gentium vicinarum, et tempeſtiva plurium populorum inter ſe coniunctione ad temperandam alterius gentis potentiam vel huius potentiae abuſum; multum profecto differt ab eo iure vel more (de quo DD. disputant (8)) quo Gentes ex Europae aequilibrium.

(7) Nonniſi obiter haec de Gentibus Europaeis tamquam uno corpore conſideratis attingo. De illarum iuribus et obligationibus inter ſe, cum naturalibus tum pacticiis, ut quidquam hic addam, non ſinit operis ratio.

(8) Conf. quos laudat ſcriptores V. D. MARTENS, *Iur. Gent. Practici Europ.* p. 89.

ex metu vicinae nimis potentiae vi et armis ſeſe opponere amant incrementis alterius Gentis.

Variae Epochae.

§. X. Omnis Europae Status Politicus, ab quo illud pendeat Syſtema (et hoc ſcopo ſufficiat meo) commode in quatuor Epochas diſpesci mihi poſſe videtur. Quarum

1. Ab ſeculo XV. exeunte usque ad finem ſeculi XVI. quo coaluerunt vires Domus Auſtriacae per nuptias MARIAE Burgundicae cum MAXIMILIANO Archiduce, per adiectam his Monarchiam Hiſpanicam, et per CAROLI V. dignitatem Imperatoriam. Ex quo tempore alii, in primis Galli, in ſpecula poſiti.

2. Ab hoc inde tempore usque ad Pacem Monaſterienſem, a. 1648. vel ſi mavis, Pyrenaeam, a. 1659. qua Regis Gallorum aucta, et reſtricta quodammodo est Domus Auſtriacae potestas.

3. Ab a. 1660. usque ad finem ſeculi, vel potius ad Pacem Traiectenſem a. 1713. quo temporis intervallo fundamenta iacta fuere, quibus Domus Borbonica, Regna Hiſpaniae et Galliae per nuptias arctius iungens, et maiora in dies ſpirans, totius Europae aemulationem excitavit, multisque mutuis inter Gentes Federibus ac Bellis anſam praebuit.

4. Ducatur ab hac Pace Traiectenſi, ex quo tempore Regna Hiſpaniae et Galliae ab diverſo Principe recta; Hiſpania etiam ab Domo Auſtriaca est diſiuncta; usque ad obitum Imperatoris CAROLI VI. a. 1740. ab quo nova, ut ita dicam, *Epocha Europaea* derivanda, atque ab increscente Domus Auſtriacae, et exorti Ruſſorum Imperii potentia, novus inter Principes Europaeos metus es-

eſſe coepit. Quis autem huius Seculi, vere Paradoxi, futurus ſit exitus, dies docebit.

§. XI. In his omnibus, quae digito tetigiſſe ſufſecerit, perquam inſignes Belgarum partes fuerunt, et adhuc ſaepe ſunt. De quibus antequam dico, pauca de nomine et priſtina conditione monebo. Res Belgarum ab prima aetate.

Nomen *Belgicae* ſive *Belgii* ac *Belgarum*, IVLII CAESARIS tempore ſub Romanis iam cognitum erat, obſolevit deinde; revixit tandem ante duo ſecula, ſed longe alia, atque olim, limitum extenſione in *Belgio*, cum *Federato*, tum *Hiſpanico* et *Auſtriaco*.

Ipſae Regiones, quibus hoc potiſſimum nomen hodie tribuitur, florente Romana Republica, Imperii Romani partem faciebant. ſub Romanis.

Condito autem Regno Francorum ſub nomine *Friſiae* inde ab ſeculo VII. *Francis* paruerunt. ſub Francis.

Poſt ſciſſum deinde ſeculo X. Francorum in duo Regna Imperium, Germanicum et Francicum ſive Gallicum, media inter utrumque remanſerat *Lotharingia*, primo *Regni*, deinde *Ducatus* nomine cognita, eique *Belgium* accenſitum. De hac *Lotharingia* ſub Rege Germaniae HENRICO AVCVPE, anceps inter Germanos et Francos Principes fuit diſceptatio. Quae poſtquam Regno Germanico fuit adſcripta, in duos denuo abiit *Ducatus*, *Lotharingiam Superiorem* et *Inferiorem*. Ad *inferiorem* tunc pertinebat *Belgium*. *Inferior* ſua vice varias in partes diſtracta eſt, atque inde perplures ſurrexerunt Ducatus, Principatus, Comitatus, Dynaſtiae, ſive quae ſimplici nomine Dominia Territorialia dicta, cunctaque ea opulentiſſima, puta, 7 Ducatus, uti ſunt *Limburgenſis*, *Luxemburgenſis*, ſub Germanis. ſub Lotharingis.

Brabantinus, *Gelrenſis*, *Iuliacenſis*, *Montenſis*, *Clivenſis*; plures Comitatus, in his *Hollandiae*, *Zeelandiae*, *Hannoniae*, *Zutphaniae*, *Namurci*, etc. 5 Episcopatus, *Colonienſis*, *Traiectenſis*, *Leodienſis*, *Cameracenſis* et *Tornacenſis*, atque aliae bene multae maiores Dynastiae, titulo *Dominii* poſſeſſae (9).

Belgarum Regiones. §. XII. Omnes illi Principatus deinceps ſingulis parebant Principibus. Sed ſeculo labente XV. magna ex parte per Pacta, per Nuptias, aliosque Dominii transferendi titulos, post mortem CAROLI Burgundici, a. 1477. per filiam unicam MARIAM, MAXIMILIANO Archiduci Auſtriaco nuptam, transierunt in ius et ditionem Familiae Auſtriacae, atque ita ad unum eundemque devenerunt Principem, CAROLVM V. Imperatorem, quamquam ſuâ quisque imperii formâ. Qui et ipſe a. 1555. illas Regiones numero XVII. transtulit in filium PHILIPPVM, qui, ut ſui temporis potentisſimus erat, princeps, ſimul Regna tenebat Hispaniae, Siciliae, Sardiniae, Ducatum Mediolanenſem, Comitatum Burgundiae, et in America Regna auro argentoque affluentia, Mexicanum et Peruanum; quibus et Portugallia, a. 1580. acceſſit, cum eaque late patentes Orientis et Occidentis Ditiones.

ad unum Principem devolutae.

Status Europaei Publici immutatio. §. XIII. Quae autem Europam ſeculo XV. ſq. variarum mutationum cauſſae, eaedem etiam Belgicas has Regiones, et longe ſaepe validius, affece-

(9) HEINECCII *Opp.* T. II. P. I. Exerc. XXII. *de Ducatus et Ducum Lotharingiae praerogativis* p. 757.

Digitized by Google

cerunt. Inter cauſas omnium populorum Europae communes referri posſunt Gentium mores in dies longe manſuetiores, cultiores; Artis Typographicae inventio; cesſatio ab iure Manuario; imminuta Pontificis Rom. ex Religione Reformata in ipſos Reges et Gentes auctoritas; nova et hilarior Commerciorum facies; maius mutui commodi adiuvandi ſtudium ac benevolentia; introducta militia mercenaria; invalescens inde civium ab militandi onere exemtio; nova penitus post repertum pulverem pyrium bellandi ratio; legatorum ad exteras Principum aulas misſio et admisſio, maiorque *Federum Amicitiae*, *Defenſionis* et *Commercii* inter GG. conſociatio, etc. et causſae

Ad communes has causſas accedebant nonnullae *Belgis propriae*; maior nempe ad promovenda Commercia in primis Hollandorum et Flandrorum prae aliis gentibus induſtria et aemulatio; commodior portuum ſitus; antiquisſima per mare Septemtrionale Piscatio, aliaeque causſae cum phyſicae tum morales; quas hic recenſere longum est. ut et Regionum Belgii.

§. XIV. Haec omnia ſub Principibus quidem ſuis, civium commodis intentis; qui et ipſorum ſuſtentati ſubſidiis bella gerebant ſua, diverſique generis Federa conciliabant. Verum postquam, vergente ſeculo XVI. obortis turbis civilibus, inter XVII. Provv. ſecesſio facta est, et a. 1579. ſqq. arctiori ſe vinculo iunxerant VII. Regiones; tunc demum videris, quantum momenti rebus Europaeis hae Regiones adtulerint. Quamdiu nempe omnes XVII. Regiones ſuis parebant Principibus, Hispanis et Auſtriacis, Principum fata trahebant Belgas. Post eiuratum vero Regem a. 1581. Respublica Federata, usque ad Pacem Monasterienſem, a. 1648.

 ſem-

ſemper ſibi ab Hispanis metuebat, horum potentiae vi et armis reſiſtebat; undique amicos et auxilia appetebat; Gallos in primis et Anglos fidos ſaepe experiebatur adiutores. Post Pacem Monasterienſem mutata penitus est ſcena, et omnis deinde ab Gallia, nullus ab Hispania amplius metus, de quo CAP. II. Aucta vero deinde est per Pacem Traiectenſem, et per Sanctionem CAROLI VI. Pragmaticam potentia Domus Auſtriacae, eaque aemulatricem hodie habet trium Principum, *Angliae*, *Borusſiae* et *Galliae*, potentiam. His per Federa hodie iuncta est Respublica, cui ingens fortasſe ex ſitu metuendum fuisſet damnum, ſi locum habuisſet ea, quam paucis abhinc annis mente conceperat Imperator, Belgii Auſtriaci cum Bavaria commutatio.

Longe alia in Belgio ratio est Mercaturae, Commercii et Navigationis. In his aemulos habuit prima aetate *Hispanos* et *Luſitanos*, elapſo vero ſeculo *Anglos* potisſimum et *Gallos*, hodie vero tantum non omnes Gentes Europaeas. Vnde multa etiam controverſiarum, immo bellorum, materies. De quibus omnibus, CAPP. ſeqq.

Regionum Belgicarum arctior quaedam coniunctio.

§. XV. Quod autem ſupra innuebam, olim Regiones Belgicae ſingulae ſeparatos habebant Dominos Territoriales ac Principes; ſeparata erant Territoria; ſeparatam habebant regendi formulam; et quamquam pedetentim ad unum eundemque Principem CAROLVM V. devenerant, cives tamen et ſubditi, ex varia regendi forma, ſuis vel ſtabant moribus vel legibus, ab Principe cuique ſuo latis, prout vel res vel commoda ſive Principis ſive Populi poſtulabant. A quo more et iure neque in hunc diem discesſum est.

In

In aliis vero cauſſis arctior quaedam omnium Regionum cum *generalis* tum *particularis* coniunctio obtinuit. Per *Generalem* intelligo omnium Provinciarum ſub uno Principe conſociationem ſive in unum corpus coalitionem, ad mutua commoda ſuſtentanda; quae tamen ſerioris admodum eſt originis, et CAROLI V. aetati adſignari debet. *Particularis* eſt illa, unde *Reſpublica* Federatorum Belgica eſt enata ſub eius filio PHILIPPO.

§. XVI. Quod ad priorem! Generalis Coniunctionis variis temporibus varia fuere conamina. In quibus conſideranda et ſcopus et conſilia; media et auctores. Generalis.

Tentata a. 1524. eſt Hollandiae, Traiecti, et Friſiae; a. 1527. Brabantiae Hollandiaeque coniunctio; ſed fruſtra! Melius proceſſit Hollandiae et Ditionis Traiectinae ſub uno Gubernatore coalitio a. 1534. (n. 116. *Indice Federum*) (10); ſed omnium Regionum coalitio tunc adhuc incaſſum cecidit; tergiverſantibus nunc Principe, nunc populis, in id unum tamen conſentientibus, ut communis eſſet adverſus vicinos hoſtes, in primis Gallos, defenſio, nulla vero Imperii communio.

§. XVII. Tria deinceps fuere, quae arctiorem ſub uno Principe coniunctionem promoverunt et abſolverunt. Promota.

1. Pactum CAROLI V. Imperatoris, qua harum Regionum Domini, cum Imperio Germanico *Auguſtanum* (*'t Augsburgſche Verdrag*) a. 1548. d. 26. Iun. Per Pactum Auguſtanum.

(10) Cf. AART VAN DER GOES, *Regiſter van Holland*, T. I. p. 162. 167. 173. T. II. p. 621. 627.

Digitized by Google

Iun. (n. 132. 133.) ex quo omnes XVII. *ditiones* ſuas *Hereditarias ac Patrimoniales*, ſub titulo *Circuli Burgundici*, (minime vero *Regni Burgundici*) arctiori vinculo annexuit Imperio R. Germanico. Vnde ius ſuffragii in Comitiis, ac tutela Imperii ab hac, promisſae ab altera parte ad communem defenſionem ſuppetiae, quantum duo Electores ſolvere ſolent, etc. (11).

Sanctionem Pragmaticam.

2. *Sanctio* CAROLI V. *Pragmatica* ſeu Lex *ſuccedendi* perpetua in Dominia Belgica, qua ius Repraeſentationis in Linea recta et collaterali Princeps ſtabilivit, et cum unanimi omnium populorum ſuorum conſenſu familiae ſuae asſeruit, a. 1549. d. 4. Nov. (n. 135.)

Omnium Ordinum convocationem.

3. Increbreſcens paullatim *Subſidiorum*, ad communem ac fere perpetuum ſub CAROLO V. hoſtem, Gallum, profligandum, *necesſitas*, atque oneris in commune ferendi iniunctio; unde prima *Ordinum Generalium* convocatio pependit, quae et ab hoc demum tempore invaluit, convocatis deinceps etiam ſollemniter ab CAROLO V. omnibus Ordinibus a. 1555. ubi ſe Imperio abdicaret. Sed haec omnia ſalvis ſingularum Regionum iuribus, moribus, ac legibus!

Turbis obortis aliae conſociationes.

§. XVIII. Verum hae Coniunctiones longe differunt ab iis, quae ſubortis inter PHILIPPVM III. Principem, et Ordines Belgarum ac Subditos de *iuribus*, in primis vero de *Religionis* et *Conſcientiae*

---

(11) Add. WAGENAAR *Hiſtor. Patr.* T. V. p. 301. ſqq. qui tamen in his cum iudicio legendus.

tiae Libertate controverſiis ac turbis civilibus coaluerunt.

In quibus tamen duplex Turbarum Civilium Epocha, hactenus fere neglecta, est distinguenda. Priores flagrarant turbae a. 1565. ſqq. ſed hae iam a. 1570. penitus ſuppresſae fuerunt. Hoc priori intervallo innotuit *Conſociatio* et *Libellus* ille ſupplex Nobilium quorumdam virorum (n. 145.) Nobilium. a. 1565.; qui tamen Nobiles eorumque ſequaces in ipſis *Ordinum Hollandiae Registris* odioſo adhuc nomine perſtringuntur, ac vocantur *Geuſen*, *Vyanden*, *Rebellen*. Altera Epocha computanda ab a. 1572. quo Vrbes nonnullae *Hollandiae* et *Zeelandiae*, armis arreptis, ſecesſionem fecerunt, et nonnulli ex Ordinibus Hollandiae, aliique, iniusſu Vrbium. Principis, et proprio marte (quod hactenus factum nunquam) coierunt. In partes tunc distractae ſunt Regiones, distracti ſubditi. Nondum enim adverſus Regem arma per populum directa.

De Pace et Concordia cum Regionibus inter ſe disſonis, vel etiam cum Principe, inſtauranda, fruſtra a. 1574. ſqq. in Oppido *Breda* agitatum est (12), etiam per Imperatoris MAXIMILIANI II. intercesſionem (n. 151.)

Eius

(12) Pluribus P. BOR *Nederl. Oorlogen*, T. I. L. VII. p. 43—50. et L. VIII. p. 85. ſqq. et Decreta OO. Holl. (vulgo *Reſolutien van Holland*) a. 1575. fol. 5, 13, 30—36. Ex praeconcepta de vetusta quadam Regendi Libertate et de quodam, ſi Diis placet, Ordinum Co-imperio, haec longe aliter narrantur ab Hiſtoricis neotericis.

Digitized by Google

Provinciarum.

Eius in locum in Holl. ſucceſsit *Pactum Conſociationis* (vulgo *Unie*) inter Nobiles et Vrbes Hollandiae, a. 1575. d. 11. Iul. (n. 152.) ex quo WILHELMVM I. Principem Auriacum ſub Rege Gubernatorem creant ac ſummae rei praeficiunt; immo arctiori ſe Federe iungunt *Hollandi* et *Zeelandi*, ſub WILHELMO I. tamquam *Capite et ſummo Imperante*, a. 1576. d. 15. Apr. (n. 153.)

Omnium Regionum Fedus Gandavenſe.

§. XIX. Hoc exemplum rebus valde nutantibus ſecutae ſunt reliquae fere omnes Regiones, inito a. 1576. d. 8. Nov. (n. 154.) celeberrimo illo *Federe Gandavenſi*; ad quod probe intelligendum attendi oportet

1. Ad partes contrahentes.
2. Ad finem his propoſitum.
3. Ad media Pacis et Concordiae tunc excogitata.

Nihil autem in eo (ut multis perſuaſum) de detrectanda Regi obedientia decretum; confirmavit ipſum illud Fedus a. 1576. d. 20. Nov. (n. 155.) *Senatus-Ordd. Provincc.* ſive *Tribunal Conſilii Status* (*de Raed van State*), quod post ſubitaneam *Requeſenii*, Gubernatoris Generalis Regii, mortem, *Regem*, qua ſummum Imperantem, non vero *Populum*, repraeſentabat; idemque ratum habuit ipſe

Confirmatum ab Rege.

Rex PHILIPPVS, et ipſius etiam nomine deinde IOANNES AVSTRIACVS, Regius Gubernator. Qui vero deinceps mutui huius Federis conſortes eſſe vel fieri volebant, hi *iurare fidem Regi tenebantur* (n. 156. ſqq.) (13). Acceſsit alia huius Fe-

(13) Add. *Edicti Perpetui* §. 2. n. 159.

Federis *Gandavenſis* Confirmatio, ſeu potius *nova* omnium Ordinum *Conſociatio Bruxellenſis*, (vulgo *de Unie der Generale Staten te Bruſſel*), a. 1577. d. 9. Ian. (n. 158), qua *Milites Hiſpani* eorumque Aſſeclae cum *Regi* tum *Ordinibus* rebelles declarantur. Solae Provinciae, *Hollandia* et *Zeelandia* huic posteriori ſocias ſe non addiderunt. Confirmavit tamen hanc ipſam Gubernator IOHANNES AVSTRIACVS, a. 1578. d. 6. Maii (14). Alia Pacta conciliatoria.

Accedebat et alia Regionum Coniunctio inter *Ordines Generales* et Gubernatorem IOHANNEM AVSTRIACVM, titulo *Edicti perpetui* cognita, a. 1577. d. 12. Febr. (n. 159.), quo *Fedus Gandavenſe* et *obedientia* Regi promiſſa iterum ſanciuntur: eamque itidem ratam habuit Rex PHILIPPVS, reliquarum Regionum Ordinibus, ut idem *Hollandi* ac *Zeelandi* facerent, fruſtra annitentibus.

IOHANNE vero AVSTRIACO hoste declarato, quo facilior foret cum Rege *Reconciliatio*, et *Pacti Gandavenſis* ſanctior *obſervatio*, adſcito Gubernatore MATTHIA AVSTRIACO; nova tunc Concordiae via inter Provincias, per MATTHIAM, WILHELMVM *Arauſionenſem*, Ordd. Gener. et *Senatum Regium*, tentata est per *Pactum* quoddam *Religioſum* (vulgo *de Geloofsvrede*) a. 1578. d. 22. Iul. (n. 168.).

§. XX. Sed hac Religionis ſive concordia ſive tolerantia incasſum cadente, magis magisque ab invi- Reſpublica in partes ſciſſa.

(14) Vir Cl. PETRVS BONDAM, *Verzameling van Stukken tot de Unie behoorende*, T. IV. p. 52.

Digitized by Google

vicem diſcesſum est, ac tota tandem Reſpublica in duas ſcisſa est partes, quarum illa quum magis ad conſervandam Religionem R. Catholicam, et redintegrandum Regium Imperium, haec contra ad Sacra Reformata, et auxilia aliunde comparanda, inclinaret: orta hinc duo ſunt *Federa*, alterum *Traiectenſe*, alterum *Atrebatenſe*. Illud a. 1579. d. 23. Ian. hoc a. 1579. d. 17. Maii. Ex posteriore (n. 175.) Regiones ſic dictae Gallicae (*les Provinces Wallonnes*), *Hannonia*, *Arteſia*, etc. cum Principe ſuo, Rege PHILIPPO, in gratiam redierunt; iuratumque utrimque est in *Fedus Gandavenſe*, et *Edictum Perpetuum*, promiſitque Rex exteros revocare Milites, et omnia inſtaurare Privilegia, quae ante exorta Disſidia omnium et ſingulorum fuerant. Ex hoc Federe in hunc usque diem Belgium *Auſtriacum* fere gubernabatur (15).

Fedus Atrebatenſe.

Fedus Traiectenſe.

§. XXI. Longe vero diverſa fuit ratio *Federis Traiectenſis* (vulgo *de Unie van Utrecht*) (n. 172.), ex quo *Belgium Federatum* ortum; quippe quo nonnulli ſocii Gandavenſes vires ſuas opesque arctius coniunxerunt ad iura ſua defendenda et corroboranda. Quod ut coalesceret, quantum habuerit difficultatis, docet exemplum Friſiorum

---

(15) Vid. *le Comte* NENY (ſuppresſo nomine) *Memoires des Pais-Bas Autrichiens*, P. I. p. 45. et P. II. p. 114. Inſignis in hac Obſervatione vis est ratione Privilegiorum, quae ab hoc tempore in Belgio Hiſpanico, nunc Auſtriaco, Fundamentalia magis Imperandi Pacta evaſerunt.

rum (16). Conſtat id Articulis 26. Quae quum Lex ſit Fundamentalis Imperii Belgarum Federatorum, dignum omnino est ut investigetur, quae eius ſit hiſtoria, quae pangendi occaſio, qui ſuaſores et auctores, quae partes contrahentes; qui poſtea acceſſerint ſocii; qui ſcopus ac ratio; quodnam inde ortum *Syſtema Civitatum*; in quibus hoc diverſum ab aliis id genus *Syſtematibus*; quae inde ultro citroque *obligationes*; quae hodie valeant; quae vel *non uſu*, vel *non confirmando*, vel *mutatis temporum*, vel *rerum circumſtantiis*, invalidae vel penitus pro *abrogatis* cenſitae; quaeve hinc *iura* cum omnium tum ſingulorum, etc. Effectus etiam dupliciter est conſiderandus, ante et post abdicatum Regem a. 1581. in primis *uſus hodiernus*. Denique obſervandum, nihil quidquam hoc in Federe ſtatutum eſſe de *Communi Imperio conſtituendo*; nec *de Rege abdicando*; neque de ſolvendo vinculo cum *Imperio Germanico* ex Pacto Augustano validius adſtricto; ſed cautum potiſſimum eſſe 1. ut communis ſit defenſio. 2. ut ſuum cuique tribuatur. 3. ut modus his omnibus ſtatuatur. Et 4. ut conſerventur iura, quae tunc temporis habebant cum ſingu-

---

(16) Baro THOE SCHWARTZENBERG, *Charterboek van Friesland*, T. IV. p. 71. 109—123. 129. ſqq. Ne memorem ſcripta VV. Clar. BONDAMI et VAN DE SPIEGEL, de hoc Federe ex Actis Publicis nuperrime hauſta.

Exemplar eius *Authenticum* haud ita pridem publica auctoritate prodiit, cum *tabulis aeneis* magnis ſumtibus expreſſis.

gularum Provinciarum Gubernatores, Ordines, Nobiles, Vrbes, et Vrbani Magiſtratus, tum *Cives* et *Ruſtici*, eorumque *Sodalitates* ac *Corpora*. Quae omnia ab illo tempore ex *ſollemni* hoc ac *mutuo Pacto* ſuam firmitatem ac *vim Legum Fundamentalium* acceperunt, quum antea duntaxat *Privilegia* et *Conceſſiones*, iure et vi *Imperii* ab ſummo Imperante impetratae, haberentur et eſſent; ſalvis tamen iis, quae deinde communi conſenſu, vel aliis iuſtis titulis, in his immutari vel aliter conſtitui, et tempus et ratio, et neceſſitas poſtularunt.

Deinde confirmatum.

§. XXII. De hoc *Federe* corroborando, emendando, caſtigando, ampliando, ſaepe deinde actum eſt in OO. GG. Comitiis, ante a. 1648. ipſis annis 1650, 1651. 1716, 1717. Nonnulla etiam noſtra aetate inter Socios inita ſunt conſilia. De difficili Federis exſecutione, multae exiſtunt querelae, multa conſilia. In reſervatis vero ab ſingulis ſociis ſive Provinciis Iuribus, ne qua de his controverſia oriatur, ex prudentiae Regulis conducit, 1. diſquirere, non quid hodie, ſed quid iſto tempore videantur voluiſſe contrahentes. 2. Diſcernere ipſum *Ius* ab *Iuris* exercitio, ſive reſtrictione, quae, quamdiu Fedus valebit, valeat neceſſe eſt. Durante autem hoc Vinculo Traiectenſi, durabit; hoc pereunte peribit Reſpublica.

At quantum apud exteras etiam gentes interſit, famam ſervare Concordiae, docent eheu! multa exempla (17), docet noſtra quam viximus aetas.

§. XXIII.

(17) Singularia ſunt quae Legati Belgg. ſcribebant apud JO. DE WIT, *Brieven*, T. V. p. 67. Cf. T. I. p. 160. ſq. 239.

Digitized by Google

§. XXIII. Fruſtra deinde a. 1579. et 1580. in Vrbe Colonienſi per Legatos Imperatoris tentata etiam harum VII. Provinciarum Pacificatione, obedientiae inſtauratione, et cum Rege reconciliatione (18), (quam ſolum de *Religione* Articulum XXI. impediisſe, volunt nonnulli:) res in nervum erupit; varia de *abdicando Rege* conſilia inita; neque id ante tamen, quam de *alio Principe*, ſucceſſore, certae esſent Regiones, earumque Ordines, quippe qui omnem populum his in actis referebant. Inſtaurandae obedientiae conamina.

Hinc post multas diuturnasque Deliberationes (19) Pactum est initum de ſummo Belgg. Imperio in FRANCISCVM ALENZONIVM, Ducem Andegavenſem, Regis Gall. fratrem conferendo. Accepit hoc Imperium variis ſub Conditionibus Dux ALENZONIVS, et utrimque Pacto ſubſcriptum est a. 1580. d. 19. Sept. (n. 181.), in quibus etiam cavetur de *iure ſucceſſionis hereditariae* in ſtirpe *maſcula*; adiecta tamen *Lege Commisſoria*; ha- Novus adſcitus Princeps Dux Andegav.

(18) Vid. Acta Pacificationis Coloniae V. D. (AGGAEI ALBADA), a. 1580. Belg. verſa, titulo *Acten van den Vredehandel gheſchiet te Colen, in de teghenwoordicheyt van de Commisſarisſen der Keyſerlycker Majeſteyt*, a. 1580. 4to. *Door bevel van de Staten van Hollant.* Quae perperam ADOLPHO MEETKERKIO adſcribuntur.

(19) De quibus testantur Decreta Ordd. Holl. (vulgo *Reſolutien van Holland*) ad a. 1580. M. Mart. fol. 44. ſqq.

hactenus in Belgio penitus incognita (20), et expreſſa ſtipulatione de Belgis iuvandis, etiam *adverſus Regem Hiſpaniae.*

per omnes Provincias.

Hanc ſummi Imperii delationem ratam habuerunt Ordines GG. a. 1580. d. 30. Dec. (n. 183.). Iusiurandum ei praeſtandum Ordines Hollandiae confirmarunt; et utrimque ſollemniter in Conditiones iuratum est a. 1581. d. 23. Ian. (n. 184.) etſi ſollemnis novi Principis Inauguratio in Belgio demum a. 1582. variis de cauſſis ſecuta est (21); et nummi hac occaſione cuſi.

Wilhelmus Auriacus per Holl. et Zeelandos.

§. XXIV. Ordines tamen Hollandiae ac Zeelandiae, quantum ad ſuas Provincias, ex facultate ſecretis mandatis ſibi reſervata, ſollemni ritu d. 24. Iul. a. 1581. (id est biduo ante eiuratum per OO. GG. Regem) ſollemni, inquam, ritu ſemet iureiurando Regis abſolvunt, eiusque in locum ſummum Imperium in Principem Auriacum WILHELMVM I. conferunt; illi, qua tali, (*als Souverein en Overhoofd*) iusiurandum *Obedientiae* et *Fidei* praeſtiterunt; immo post abdicatum Regem, a. 1582. d. 14. Aug. (n. 187. ſq.) ſummum ei Imperium ipſi *confirmatum* est, ſub titulo *Comitis et Domini Hereditarii* tenendum, eodem iure, quo *Comes* id antea tenuit, ſalvis tamen nonnullis ſtipulatio-

(20) Quidquid *de Brabantia* alii, ſed falſo, affirmant, in iis AGYLAEVS *de Inauguratione* PHILIPPI II.

(21) Non hauſi haec ex vulgaribus Chronicis et Hiſtoricis, qui multa diſſimulant, ſed ex ipſis Actis Publicis et OO. Decretis, quatenus haec conſulere contigit.

tionibus, *in formam Legis Commiſſoriae* adiectis (n. 195.); et quamvis *ſollemnis* ſub hoc *Comitis* titulo *Inauguratio*, ex cauſſis nonnullis peculiaribus, ac tandem ob ipſam Principis mortem, locum non habuerit; tamen, ſummo hoc Imperio, rite oblato et acceptato, in Holl. et Zeel. iuſto deinde uſus est titulo, usque ad obitum.

§. XXV. Sequitur tandem a. 1581. d. 26. Iul. (n. 189.) ſollemne omnium Ordinum Federatorum Decretum de Abdicando Rege Hiſpaniae, qua Belgarum Principe et Domino, quo Regem *ipſo iure* Imperio excidiſſe declarant. Quod quo ſenſu ſit intelligendum, vel dici potuerit, non omnium VV. Doctorum eadem est opinio. Sequitur Abdicatio Regis Phil.

Regem certe, quantum ad rem ipſam, non *iure belli*, (ut nonnullis viſum) ſed *iure cauſſae* eſſe abdicatum, concedunt omnes Belgae ingenui: ſed qualis illa cauſſa? eaque diverſa ab reliquarum X. Provv., quae Regis Imperium iterum agnoverunt? Sitne ea quaerenda in *ſimplici Privilegiorum violatione*; quae multorum est ſententia, disquirant alii (22). quo Iure?

Miſ-

(22) Aliud nimirum est *Privilegia* vi Imperii conceſſa *violare*, quae quidem Princeps, qua Princeps, tamquam totidem Exceptiones a iure communi, vel tamquam diſceſſiones ab iis, quae Lege generali erant ſancita, concedit, non ut Princeps ſit, ſed quia Princeps est; quas quidem, ſi *temere* et ſine *gravi* cauſſa, reſcindit, iniquiſſime agit: aliud est, ipſas *Leges Imperandi fundamentales* violare. Sed de his dixi in Orat. Inaug. *de Iure Abdicandi Regem* PHILIPPVM, a. 1779. Quae au-

Miſſa ſtatim ad Imper. et OO. Imperii German. eſt Legatio, ad reddendam *Abdicationis* rationem.

Ex antedictis abunde liquet, in abdicando Rege non ſpectaſſe Ordines GG. ac Federis Traiectini Socios, *liberam Reipubl. formam* adſciscere, ut multis perſuaſum; ſed, dicente H. GROTIO (23), *ingens tunc arcanum patefactum eſſe, poſſe Belgas ſub dominio eſſe, non poſſe ſub Hispano.*

Miſera Belgii conditio mortuo Wilh. I.

§. XXVI. Averſantibus vero deinde Belgis Ducem illum ALENZONIVM, quem Principem adſciverant, eoque a. 1583. inopina morte exſtincto, et inſuper WILHELMO I. Principe a. 1584. nefarie trucidato; Belgae hinc ad incitas ſunt redacti, et admodum flebilis Federatorum omnium fuit conditio, immo dicente eodem GROTIO (24), *eo anguſtiarum deventum erat, ut vellent Regnis accreſcere; nec admitterentur.*

Offertur S. Imp. Gallis et Anglis.

§. XXVII. Per has extremas rerum anguſtias, MAVRITIO, WILHELMI I. filio, admodum iuvene, Gubernatore cooptato, ſumma vero in Belgas poteſtate primo *Galliae*, deinde *Angliae*, Regibus, ſed fruſtra, oblata; tandem ex Pacto Clientelari ac Subſidiario (de quo poſtea) cum Copiis ex Anglia arceſſitur ROBERTVS DVDLEIVS, Comes Leiceſ-

---

autem fuerint *priſtina* Belgarum Principum *Iura* in hac Belgii parte, quod hodie *Federatum* dicitur, docui in *Prim.* meis *Lineis Collegii Diplom. Hiſt. Polit.* a. 1780. In ipſa re facio cum Cl. VLR. HVBER. *de Iure Civitat.* L. I. Sect. III. C. V. §. 63—65. p. 88. Ed. THOMAS.

(23) *Annal.* L. IV. p. 89.

(24) *Annal.* L. IV. p. 88.

ceſtrius, tamquam Gubernator Generalis, cui Ordines Fedd. ſummam auctoritatem, et omne terra marique imperium militare una cum adminiſtratione publici aerarii; immo maius, quam poſtea pro veto, imperium Ordines Holl. contulerunt; quo elatus Comes L. quum quandam quaſi dictaturam exercere conaretur; ipſosque OO. Holl., quorum conſiliis et auxiliis in omnibus uſus fuerat WILHELMVS I., flocci pendere videretur: hinc natae ſunt variae Ordinum querelae, gravamina, et tandem iuris ſui Vindiciae et Edicta (25), quibus ſimul mentem ſuam explicant de *forma S. Imperii Hollandici* contra Com. Leicestrium, qui per Libellos quosdam, publice editos, ipſi *Populo* ſummum Imperium vindicare conabatur, vel vindicari illud connivebat. Mittitur Leiceſtrius.

§. XXVIII. Leicestrio per Reginam ELISABETHAM revocato, alterum patefactum eſt Arcanum, poſſe *Belgas*, absque ſummo unius Principis Imperio, cum Gubernatore et ſummae rei Praefecto, per Proceres ex populo cooptatos, et ex priſtino Syſtemate ac Privilegiis electos, regi. Hinc ſub Gubernatore et ſummo terra marique Imperatore MAVRITIO laetior Belgis facies illuxit, et ab hoc tempore, durante cum Rege et reliquis Provinciis Regem ſecutis bello, praeclara Facinorum ſeries inchoatur. Revocatur. Laetior ſub Mauritio facies.

§. XXIX. Rex Phil. paullo ante obitum Belgicas Ditiones, atque adeo, ſi obtineri poſſeſſio poſſet, etiam VII. Federatas, iure *dotis* per Tabulas a. 1598. Belgica in dotem conceſſa.

(25) A. 1587. d. 30. Aug. et d. 16. Oct. n. 203. ſq.

a. 1598. d. 6. Maii (n. 202.), tranſtulit in filiam ſuam ſecundogenitam, ISABELLAM CLARAM EVGENIAM nupturam ALBERTO Archiduci Auſtriaco.

Tractatio de Induciis.

§. XXX. Interim post mortem Regis PHILIPPI II. quae a. 1598. incidit, de *pace* vel de *Induciis* tractatur, et a. 1607. d. 24. Apr. (n. 239.) initae ſunt ad 8. menſes *Induciae* ſeu Armiſtitium inter Belgas Federatos, et Archiduces, approbante Rege PHILIPPO III. a. 1607. d. 18. Sept. cuius tamen Approbationis Tabulis, quum minus hae placerent Ordinibus, ſucceſſerunt aliae; pro iisque fideiuſſit IACOBVS I. Rex Angliae, a. 1608. d. 26. Iun. (n. 243.).

Argumentum Induciarum.

§. XXXI. Post varias tandem, ſed fruſtraneas, de *Pace* tractationes, in quibus obſervandi ſunt *Promotores*, *arcana Conſilia*, *partium ſtudia*, et *commoda*, convenit tandem in *Duodecennales Inducias* a. 1609. d. 9. Apr. (n. 247.), in quibus Archiduces, cum ſuo tum Regio nomine, cum Belgis Federatis agere ſe velle declarant *tamquam cum populis liberis*, qua voce *tamquam* nonnulli deinde *Icti* Brabantini abuti conabantur.

Conſtant Induciae Capp. 38. quorum

§. II. et III. „ Quae quisque poſſidebat, durante isto intervallo, eodem iure tenebit."

§. IV. „ Libera ſtatuuntur Commercia in ſingulis Europae Ditionibus, non vero in Regionibus extra Europam Regi ſubiectis, niſi Rex conſentiat. Cum aliis vero populis extra Europam Commercia ab Hiſpanis non turbabuntur (26)."

„ Ad-

(26) De hoc Articulo quantae postea fuerint Controverſiae, dicam infra *Cap.* VI.

„ Adduntur: §. VI—XII. plures Stipulationes „ de Commercii Libertate, Navigatione, Vectigalibus, portoriis, portuum introitu, etc."

§. XIII—XX. et §. XXX. „ Cavetur de bonis „ immobilibus durante bello publicatis, nominatim „ de Domaniis WILHELMI I. Princ. Aur. eiusque heredum."

§. XXI—XXVII. „ Cavetur de bonis ac rebus „ Eccleſiaſticis, earumque reditibus."

§. XXVIII. „ Libertas redeundi ad lares cuique „ ſuos relinquitur."

§. XXIX. „ Prohibetur utrimque novarum Arcium exſtructio in vicinia."

§. XXXI—XXXV. „ Sanciuntur Civium nonnulla iura privata, captivorum redemtio, et praedonum coërcitio."

§. XXXVI—XXXVIII. „ Agitur de ſanctione."

§. XXXII. Ex peculiari vero ratione politica, *ſecreta* duo Capita adduntur, quorum 1. Rex Hisp. ampliando §. IV. promiſit *conſentire* in Navigationem Belg. extra Europam, etiam cum aliis populis, ſi hi conſentiant. Contra 2. Ordd. Fedd. nihil in religione Rom. Cath. innovare promittunt per loca Brabantiae ipſis nominatim ceſſa. Secreta capita.

§. XXXIII. Pro his Induciis, ut inſignem contulerunt operam, ſic fideiusſerunt, ſeu potius *Guarantiam* ſuam interpoſuerunt Reges *Galliae* et *Angliae*, a. 1609. d. 17. Iun. (n. 253.). Accesſerunt et alia (n. 248. 249. 251.) ſq. vero a. 1610. d. 7. Ian. (n. 258.) adiectae ſunt nonnullae Interpretationes de *libertate Commercii*, de *vectigalibus*, *reditibus*, aliisque minoris momenti Capitibus. Se- Guarantiae, et Interpretationes.

çuta eſt d. 24. Iun. (n. 263.) longe maioris momenti Declaratio ſive Federis Interpretatio, 1. de Vectigalibus in *Moſa*, *Rheno*, et *Scalde* (Antverpiae) percipi ſolitis, 2. de Regione *Twentana*, Oppido *Oldenzale*, etc.

Haud diu poſt cautum eſt de *Flandriae* limitibus ad mare (n. 259.).

Disſidia interna. §. XXXIV. Ab hoc tempore usque ad a. 1621. quantum ad exteros, quievit Reſpublica, crevit eius honos, dignitas, et potentia; quantum ad internum ſtatum, non quievit, propter inteſtina de religione disſidia et factiones ſic dictas MAVRITIANAM et BARNEVELDIANAM, odioſo deinde nomine dictam *de Loeveſteinſche Factie.*

Belli inſtauratio. §. XXXV. Finitis Induciis, novus belli ardor, nova praelia, nova Regionum et Vrbium acquiſitio, rem ſtrenue *promoventibus* et bellica facinora ad ſtuporem usque edentibus Gubernatoribus MAVRITIO et FREDERICO HENRICO, WILHELMI I. liberis. Ad frangendas vires Hiſpanas multum etiam opis ſubinde conferentibus Regibus Galliae, Angliae, Daniae. De quorum Federibus clientelaribus et auxiliaribus dicam CAP. III. Legati

Oblata Pax. Hiſp. a. 1629. fruſtra novas annorum 24. Inducias tentant: fruſtra a. 1632. ſq. alii Federis Gandavenſis inſtaurationem, et omnium XVII. Provinciarum coniunctionem in formam Reipublicae urgent (n. 341, 343.).

Strenua Gallorum Auxilia. Galli, qui Hiſpanos penitus ab Belgio amovere conabantur, a. 1634. d. 15. Apr. (n. 345. ſq.) arctiore ſe Federe Belgis coniungunt, et ſq. a. 1635. d. 8. Febr. (n. 347—350.) inter LVDOVICVM XIII. Regem Gall. et Ordines Fedd. ſollemni pacto

con-

Digitized by Google

convenit, ut, Hiſpanis communi opera ex omni Belgio eiectis, illas Regiones aequali lege dividerent; quae ſi ſponte ſe darent, in *Liberam* erigerentur *Rempublicam*, ſalvo tamen Paciſcentium iure clientelari, ac Religione Romano-Catholica; ſed hoc conamen fruſtra fuit. et Pacta.

§. XXXVI. Tandem quum ſerio, ſi non *de Pace*, certe de *Induciis* cogitarent Belgae et Hiſpani, Hagae Com. inter Gallos bello German. iuxta et Hiſpanico immixtos, quique Rempublicam per hos annos pecuniâ inſigniter ſuſtentarunt, (CAP. III.) et inter Fedd. Ordd. a. 1644. d. 1. Mart. (n. 386. ſq.) convenit, ut ne Pax fieret, vel Induciae inirentur, niſi communi conſenſu, nec altero inconſulto de iis ageretur.

§. XXXVII. Poſtquam vero durante et in longum protracta Pacis Negotiatione, patefacta eſſent occulta Gallorum conſilia de vindicandis ſibi ditionibus Hiſpano-Belgicis, et de permutanda cum iis *Catalonia* (27), ſerio non modo de Pace Belgas inter et Hiſp. promovenda, ſed et de *pacanda integra ferme Europa* cogitari coeptum eſt. Pax enim inſtauranda erat Pacanda omnis fere Europa.

1. Inter Imperatorem German. ac Regem Galliae.

2. In-

(27) De his Vid. *Negotiations Secrètes*, T. III. p. 21. cl. p. 24. 123. 127. 140. ubi famoſiſſima illa Cardinalis Mazarini Epiſtola. Add. BASNAGE *Ann.* p. 20. ſqq. p. 103. NENY *Memoires des Pais-Bas Autrichiens*, P. I. p. 199.

Digitized by Google

2. Inter eundem Imperatorem et Reginam Sueciae.

3. Inter Regem Galliae et Hiſpaniae.

4. Inter ipſos Imperii Ordines ac Principes cum Imperatore, imprimis ratione Religionis Publicae et Iurium.

5. Inter Principes Imperii Romano-Catholicos et Proteſtantes.

6. Denique inter Regem Hiſpaniae, et Ordd. Belgarum Federatos, hunc pro *Imperio*, illos pro *libertate civili* decertantes.

Pax Imperii Weſtphalica. Pro Imperatore et Rege Galliae electa eſt Vrbs *Monaſterienſis*, urbs vero *Oſnabrugenſis* pro Rege Sueciae et Imperatore, ambae ſitae in *Weſtphalia*. Acceſſerunt deinde reliqui Principes. Vnde tandem duo in Imperio German. fluxerunt *Pacis Inſtrumenta*, alterum *Oſnabrugenſe* cum *Suecis*, alterum *Monaſterienſe* cum *Gallis*; quae communi nomine *Pax Weſtphalica* (28).

§. XXXVIII.

---

(28) Horum omnium Hiſtoriam accurate et prolixe dederunt IOH. GOTTFRIED VON MEYERN, *Acta Pacis Weſtphalicae* ——— *Publica*, ab a. 1643—1648. Hanov. 1734. VI. Voll. fol. (LE CLERCQ) *Negociations Secrètes touchant la Paix de Munſter & d'Oſnabrug*, Hag. 1725. IV. Voll. fol. Rem in compendio narrant Auctor *de l'Hiſtoire des Traités*, in Calce T. II. STRVVIVS *Corp. Hiſt. German.* Period. X. Sect. X. p. 1326. ubi plures laudat Script. Add. G. ACHENWALL, *Europ. Staatshandel*, p. 47. ſqq.

Digitized by Google

§. XXXVIII. Redeo ad Belgas! Maluerant primo Hispani a. 1645. d. 25. Sept. ſeparatim cum Belgis de novis agere Induciis; miſſi tunc Monasterium Belgarum Legati (ubi hi titulo *Excellentiae* prima vice honorati); *Induciae* utrimque a. 1646. M. Febr. (n. 396.) propoſitae; tandemque, ſed invitis Regis Galliae Legatis, fruſtraque reclamantibus, a. 1646. d. 15. Dec. (n. 405.) per modum *Praeliminairen* ſunt conſtitutae; mutato vero postmodum conſilio, hae *Induciae* a. 1647. d. 5. Febr. (n. 408.) in praevias *Pacis* conditiones abierunt, additâ tamen, quo Gallis mos geratur, *clauſulâ*, nullam fore Pacis Conciliationem, niſi ſimul Pax inter *Gallos* et *Hispanos* coalesceret, et interpoſito praeterea a. 1647. d. 29. Iul. (n. 413.) mutuo Pacto *Fideiusſorio* (Guarantia) pro ſervandis Federibus, quae inirentur cum inter Gallos et Hispanos, tum inter Hispanos et OO. Belg. adiecta tamen et hic altera cautione, non ante valiturum hoc Pactum, quam inter Gallos et Hisp. *Monasterii* Pax foret ſancita. Pacis Hispano-Belgicae tractatio.

§. XXXIX. Quas autem in his artes, quae arcana conſilia, quas fraudes ingenioſas, ab omni parte adhibuerint Legati, Principis quique ſui commodis inſervientes, in his Comes *d'Avauxius* et *Servien*; hic enarrare longum est. Quidquid vero hi contraniterentur, et impedire Belgarum Pacem conarentur, ſancita tamen a. 1648. d. 30. Ian. (n. 418.) inter Regem Hisp. PHILIPPVM IV. PHILIPPI II. totius Belgii Domini et Principis ex filio Nepotem et Belgas Fedd., Pax Monasterienſis; qua Arcana Conſilia.

§. I. „ Asſerta est plena Belgio Federato Libertas; Pax Monasterienſis.

„ tas; omnes eius populi liberi ac ſui iuris decla-
„ rati; Rex pro ſe ſuisque heredibus renunciat omni
„ in has Regiones iuri. "

§. II. „ Sancitur Pax perpetua et firma. "

§. III. „ Statuitur Regula *uti poſſidetis*, ita ut
„ Ordinibus Fedd. iure perpetuo nominatim aſſi-
„ gnentur Maioratus *Buscoducenſis*, Marchionatus
„ *Bergazomenſis*, Baronia *Bredana*, Vrbs *Moſa-*
„ *Traiectum*, et Comitatus *Vroenhoven*, Oppidum
„ *Grave* et territorium *Kuikenſe*, *Hulstae* et *Axe-*
„ *lae* territoria, *Munimenta* in agro *Waſano*, et
„ alibi in *Brabantia* et *Flandria*, quae tunc tene-
„ bant, et ad quae ex §. LXVIII. nominatim per-
„ tinebant *Arx Lilloa*, et omnia quae ſita erant ad
„ Orientalem Scaldis ripam, et in *Waſia Spinola*,
„ *Liefkenshoek*, etc. De Territoriis Transmoſa-
„ nis *Valkenburg*, *Daelhem* et *'s Hertogenrade*
„ ſtatueretur ex §. XXI. "

§. IV. V. VI. „ Sancitur Belgis plena Navigan-
„ di Libertas et ius Commercii exercendi non mo-
„ do in Europa, ſed etiam in India Orient. et Oc-
„ cident. et alibi, nominatim in *Braſilia*. Contra
„ vero *Hispani ſuam quam nunc habent Navigandi*
„ *libertatem in India Orientali retinebunt; neque*
„ *tamen eam ulterius extendere licebit.* Belgae ta-
„ men non frequentabunt Hispanorum poſſeſſiones
„ in Ind. Orient. neque id utrique permiſſum in
„ Ind. Occident. ".

§. VII – XIII. „ Cavetur de libero Commercio
„ per utriusque territoria, deque Vectigalibus,
„ in primis de Zeelandico, antea Antverpiae exi-
„ gi ſolito; deque reditibus in id aſſignatis. "

§. XIV. „ Oſtia et Canales fluvii Scaldis, 's

„ Sas,

„ *Sas*, 't *Zwin*, et ipſe fluvius *Scaldis* ab parte
„ OO. occluſa manebunt (29)."

§. XV. „ Vectigalia in portubus Flandriae de-
„ terminantur."

§. XVI. „ Vrbes Hanſeaticae earumque iura
„ hoc federe comprehenduntur."

§. XVII. „ Promittitur Communio Privilegio-
„ rum, quibus in Hiſpania gaudent ſubiecti An-
„ gliae."

§. XVIII—XX. et LI. „ Cavetur de honore
„ Religioni R. Cath. ab Mercatoribus Belgis ha-
„ bendo, de honeſta eorum ſepultura, de bonis
„ non niſi de iure arreſto detinendis, deque iuſti-
„ tiae adminiſtratione in locis reſtitutis."

§. XXI. „ Ad controverſias ſuborituras de iis
„ negotiis, quae hoc in Federe accurate determina-
„ ri non poterant, nominatim de regundis finibus
„ Territorii *Transmoſani* componendas, capientur
„ *Arbitri*, aequali utrimque numero, per formam
„ *Tri-*

---

(29) Quanti hic Articulus Momenti, quantumque operae impenſum ſit, ut hanc ſtipulationem ab Rege impetrarent ſartamque tectam conſervarent, praeter ea, quae in ipſa Pacis Tractatione acta ſunt, quaeque paullo poſt, a. 1654. cum Angliae Protectore CROMWELLO Scaldem intrare conato, per Legatos extra ordinem in Angliam miſſos, dicta et geſta ſunt, de quibus AITZEMA, *Zaken van Staat en Oorlog*, T. VIII. p. 129. ſqq. et p. 262. ſq., noſtra docuit aetas. Sed de his ſimilibusque, ex hac Pace, Capitibus, dicam ſeparatim, ſuis locis.

„ *Tribunalis bipartiti* (*une Chambre mi-partie*)
„ conſtituendi."

§. XXII. „ Providetur, *de Literis Repreſalia-*
„ *rum.* §. XXIII. de *Navibus armatis* portus in-
„ trantibus. §. XXIV, XXIX, XXX. de reſtituen-
„ dis bonis belli tempore confiscatis. §. LVI,
„ LVII. de libero reditu eorum, qui alio migrave-
„ rant."

§. XXV—XXVIII, XLIV, XLV, XLIX, L,
LXIX. „ Multa varie caventur de bonis, Doma-
„ niis, Principatibus, reditibus, pactisque Con-
„ ventis Principis *Arauſionenſis*, eiusque heredum.
„ De quibus CAP. II. ſeparatim ſub *Rege Boruſ-*
„ *ſiae.*"

§. XXXI—XLIII, XLVI—XLVIII, LIV, LV.
„ Cavetur de bonis, reditibus, iuribusque cum pri-
„ vatorum tum Ordinis Eccleſiastici in utriusque
„ Populi Territoriis."

§. LII. „ Integra *Gelria ſuperior* tradetur Bel-
„ gis, ſi de re aequalis pretii conveniri posſit; ſin
„ minus, res Arbitris commendabitur."

§. LIII. „ Rex Hisp. efficiet, ut Imperator cum
„ Comitiis Ordd. Imp. Germ. pacem viciniam et
„ Amicitiam Reip. ſpondeat, Imperator nempe intra
„ bimestre ſpatium, Comitia Imperii intra annum."

§. LVIII. „ Neutri licebit nova excitare Muni-
„ menta, nec novos fodere Canales (30). Sed ex
„ §. LXVIII.

---

(30) Hoc contra eos militet, qui per nostros dies in vulgus ſpargere amabant, velle Imperatorem novum fodere Canalem ex Scaldis ſua parte in mare.

„ §. LXVIII. diſiicientur nonnulla Munimenta
„ (*Forten*), uti in Flandria a parte Regis *S. Do-*
„ *natiani* et *S. Pauli*, ab parte OO. quatuor ad
„ oram Maris, et omnia, excepto *Lillo*, ad Orien-
„ talem Scaldis ripam, nec non in Pago *Kieldrecht*,
„ *Spinolam*. Denique §. LXVII. *Limites Flan-*
„ *driae* ex aequo et iusto conſtituentur."

Reliqua Capita, vel levioris ſunt momenti, vel talia, quae, pro more in Pacis vel Amicitiae Fedd. obſervari ſolito, agunt de non violando Federe, de captivis, de contributionibus bellicis, de averruncandis praedonibus, de ſucceſſionibus, hereditatibus, exheredationibus, de reddendis Actis Publicis, deque iurisdictione ad Vrbem *Sluſas*, et de aggere *S. Donatiani*.

§. XL. Quanta ſit haec Pax laetitia publica accepta, narrant Scripp.; quo vero pretio haec OO. Fedd. et toti Reip. habita et habenda, hoc uno confici poteſt, quod duo *Exemplaria* in Belgio hodiedum asſervantur recondita in *ſcrinio rubro holoſerico*, *argenteis lamellis undique* vincto, cum ſigillis *aureis* ex aureis chordis pendentibus; ut mihi patuit ex Indice *Federum* MSS. quae apud OO. GG. asſervantur (n. 413. in Notis). Mutata tunc etiam OO. GG. ſigilli inſignia, numi percuſi, aliaque laetitiae publicae ſigna ſuperaddita. Gaudium in Belgio.

§. XLI. Quum vero de commercio cum *alterutrius hoſtibus* nihil conſtitutum esſet, ſeparato Articulo a. 1648. d. 4. Febr. (n. 419.) de hoc cautum eſt, quemadmodum etiam de *iure* vehendi *merces vetitas*. De quo poſteriore ulterius cautum a. 1650. d. 17. Dec. (n. 434.) ex Federe mari- Capita Federis ſeparata.

ritimo, vulgo *'t Tractaat van Marine*; de quo infra CAP. IV.

Haec Pax, praeter Gallorum mentem et ſine Gallis inita, multum quidem Regem G. offendit, nec deinde fuit querelarum modus. An iuſta ſatis de cauſſa? (31).

Reſpublica ſui iuris.

§. XLII. Poſt hanc autem Pacem adulta quam maxime Reipublicae iuventus vires exſeruit ſuas, omnibus quaquaverſum Gentibus Belgarum Maieſtatem reveritis; ex eo tempore uſque ad finem belli ſocialis ob ſucceſſionem Hiſpanicam geſti, varias viciſſitudines eſt experta, in quibus quae Galliae, quae Angliae, quae Domus Hiſpanicae, quae aliorum fuerint partes, cum in tutanda, tum in vexanda Rep. hic recenſere non vacat. Nunc tantummodo obſervo, *Hiſpaniam*, quae omni antea conamine Rempublicam peſſum dare, certe ſuo iterum adiungere Imperio conata erat, ſua nunc vice potentes Belgarum opes haud ſemel implorasſe. *Galliam*, quae naſcentis Reipublicae Libertatem inſigniter promoverat, poſtea iterato, immo tertio id enixam, ut eam ſi non perderet, certe in ipſum Belgg. Fedd. ſinum penetraret, eosque ad incitas redigeret: *Angliam*, nunc hoſtem, nunc ſidum amicum, ſed propter commercia maritima, Reip. aemulam, multis praeliis navalibus, ſemet ipſam iuxta et Belgas nobilitasſe. Per illud demum temporis inter-

Laeta Belgg. facies et fata.

(31) Querelas expoſuit et recoxit V. D. MABLY *Droit Publ.* T. I. p. 12, 13. Sed vid. illic Notas V. D. ROVSSET.

tervallum, videris, Rempublicam, utcumque inteſtinis diſcordiis per defectum *Gubernatoris* laceratam, coniunctis iterum, eo adſcito, viribus animiſque, communem hoſtem repellentem; integras Provincias bello ademtas recuperantem, caput denuo extollentem, et per omnem non modo Europam, ſed in diſſitas etiam Orbis partes, honorem ſuum atque arma circumferentem; donec fatale illud Bellum *ſociale* ob Succeſſionem Hiſpanicam, Belgarum (iuxta et Gallorum atque Anglorum) vires atque aerarium adeo exhauſit, ut ad illud, quod per Pacem Monaſterienſem aliiſque de cauſſis, media Syndici Holl. IOH. WITTII aetate, adtigerat, honoris ac ſplendoris faſtigium, Reſpublica eniti nunquam potuerit, nec unquam facile poſſe eniti, per varios, qui interim Europam affecerunt, caſus, videatur.

CAPVT SECVNDVM.

SISTENS

FEDERA, QVIBVS IPSVM BELGII TERRITORIVM EST ASSERTVM, EIVSQVE LIMITES IN EVROPA DESCRIPTI; NEC NON FATA, ORIGINES, ET CONTROVERSIAS CVM ALIIS GENTIBVS DE FINIBVS VLTRO CITROQVE AGITATAS.

Territoria Acceſſoria.

§. XLIII. Territorium Belgicum est vel principale vel minus principale ſive acceſſorium.

Principale hodie conficiunt VII Regiones ſive Provinciae; coaluerunt illae, ſed ſingulae ſui iuris manſerunt, excepto *limitato iuris exercitio* in iis, quae ad communem defenſionem ſocii communia eſſe voluerunt. De hoc dictum CAP. I.

Minus *principale* ſive *acceſſorium* est vel intra Europam, vel extra eam in reliquis mundi plagis, *Aſia*, *America*, *Africa*.

Diverſitas ab *Principali* inſignis est ratione

1. Imperii atque Regiminis tum eorum qui regunt, tum qui reguntur.

2. Ratione Subſidiorum.

3. Ra-

3. Ratione Privilegiorum aliorumque iurium privatorum.

4. Ratione Tribunalium.

Sed haec ad praeſentem materiem non pertinent.

§. XLIV. Hoc Cap. dicam *de Territoriis* acceſſoriis intra Europam; de reliquis CAP. V. et VI. — in Europa

Haec ſunt eiusmodi Reipublicae acceſſiones, quae ſummum ac commune Belgii totius Federati Imperium agnoſcunt, (Belg. vocantur *de Generaliteitslanden*) quia ad communem Belgarum poſſeſſionem ita pertinent, ut in eas ius omnium ita ſit aequale, ut, diſrupto Syſtematis Federati (quod Deus avertat!) Vinculo, cui pareant, ipſae ignorarent (32). — qualia illa.

§. XLV. Vulgo in quatuor territoria ſeu partes diſtinguuntur. Sunt autem 1. *Brabantia.* 2. Ditio Limburgenſis ſeu *Transmoſana.* 3. *Flandria.* 4. Pars *Gelriae* ſuperioris. Belg. *Staats-Brabant*, *Staats-Vlaanderen*, *Staats-Limburg of Landen van Overmaas*, et *'t Quartier van Venlo of Opper-Gelderland.*

§. XLVI. De his multae olim fuerunt, vel oriuntur interdum cum exteris, Controverſiae vel Poſtulata, generatim conſiderata, (vulgo *Praetenſien*), — Controverſiae cum exteris.

1. Cum Imperatore qua Belgii Hiſpanici, nunc Auſtriaci, Domino.

2. Cum

(32) Quae luctuoſisſimi iſtius fati forent ſequelae, eae graphice nuperrime ſunt delineatae, quando ſermo nonnullis iniiciebatur de Federe Traiectenſi *pro reſciſſo* habendo.

2. Cum Imperio Germanico.

3. Cum Rege Boruſſiae, qua vicinarum Ditionum Principe.

4. Cum aliis Principibus vicinis.

Variae ſpecies. §. XLVII. Dividi haec poſſunt

1. In Poſtulata vetera et nova.

2. In compoſita vel adhuc vigentia.

3. In ea, quae ſpectant vel ad ipſum *ſummum Imperantem*, ſive ratione communis Belgarum Societatis, ſive ſingularum Regionum, vel ad *iura privatorum*. Obſervato locorum ordine ſingula ex temporum ſerie recenſebo. Et primo quidem cum Belgii Hisp. Principibus.

In Belgo-Brabantia. §. XLVIII. *Belgo-Brabantia (Staats-Brabant)*. Integra *Brabantia* quatuor in partes olim erat diviſa (33). Vrbes Metropoles erant *Lovanium*, *Bruxellae*, *Antverpia*, *Sylva Ducis*.

Ex hac hodie ad Belgas pertinent

1. *Sylva Ducis ('s Hertogen-Bosch)* cum eius ſic dicto *Maioratu (Meycry)*.

2. *Breda*. 3. *Berga ad Zomam*. Quibus accedunt Vrbes *Moſa-Traiectum* et *Gravia*.

1. Sylvaducis. Miſſis *Vrbis Sylvaducenſis* Hiſtoria et fatis (34), utrum illa ſe ſociam Federi Traiectenſi

a. 1579.

---

(33) I. B. GRAMMAYE *Antiq. Ducat.* Brab. 1708. fol. J. CHR. BUTKENS, *Trophées de Brabant*, IV. Voll. fol.

(34) De his praeter VV. DD. OUDENHOVEN, et BOR, *Beſchryving van 's Hertogen-Bosch*, luculenter egit JOHAN HENDR. VAN HEURN, *Hiſtorie der Stad*

en

a. 1579. iungeret, non conveniebat inter Magiſtratus ac Cives. Eodem tamen anno Vrbs Regi Hiſp. ſub Duce Parmenſi conciliata, propoſitas Pacis Colonienſis Conditiones a. 1581. amplexa eſt; ſemel iterumque deinde, a. 1601. 1603. per Princ. MAVRITIVM obſesſa, a. 1629. d. 14. Sept. ab FREDERICO HENRICO, Belg. Gubern. eſt occupata et Belgico corpori annexa (35).

Pactum Deditionis.

§. XLIX. Inter Conditiones Deditionis ac Subiectionis, (n. 330.) maxime eminent

§. II—V. Libertas Conſcientiae, ita tamen ut diſcedant Religioſi cuiquam Ordini Eccleſ. adſcripti. Horum bona cedant OO. GG., ſed alantur ex reditibus ſuperſtites.

§. VII. Vt quae olim Ducum Brab., ea nunc ſit OO. GG. et Gubernatoris poteſtas ac iura.

§. VIII. et XII. Vt quae iura et privilegia legitima posſident, ea ſerventur.

§. IX. Vt Magiſtratus *Vrbani* ſint *indigenae*, ſalvo tamen OO. GG. iure *Indigenatum concedendi* (vulgo *Naturaliſatie*).

§. XXIV. Vt Praefectus Vrbi militaris ex gente ſit Nasſavia, vel Belga quilibet.

§. L.

en Meyery van 's Hertogen-Bosch, Trai. 1776. IV. Voll. 8vo. Paucis *Tegenwoordige Staat der Vereenigde Nederlanden*, D. II. p. 24—139.

(35) De re ipſa D. HEINSII, *Rerum ad Sylvam Duc. geſtarum Hiſtoria*, Lugd.—Bat. 1631. fol. *Les Memoires de* FREDERIC HENRI, p. 115. et Praefat. p. 9.

Eius Territorium. §. L. De Regimine Vrbis et de iure adminiſtrando promulgata ſunt a. 1657. d. 7. Nov. a. 1664. d. 1. Mart. a. 1667. d. 24. Sept. ab OO. GG. Edicta (36). Multae etiam proſtant Vrbis provocationes ad Privilegia, et Gravamina identidem exhibita; an iuſto ſemper titulo, altioris eſt indaginis. Neque de his ex aequo et iuſto ferri iudicium poteſt, niſi ſcias, quae iura Brabantinorum, per id aetatis, in *Laeto* Principis *Introitu* ſancita fuerint. Quorum complexum paucis dedit Ill. NENY (37).

Orto vero dubio, an *Maioratus* (vulgo *de Meyery*) ſive ipſum Territorium circumiacens, *Metropolin* ſuam ſequatur, plenum tandem Belgarum ius etiam in illud Territorium ab Rege Hiſpano agnitum eſt, Fed. Monaſt. §. III.

Sub eo Reuſel et Bladel. §. LI. Dantur tamen loca nonnulla, de quibus motae deinde ab vicinis Principibus ſunt controverſiae.

1. Pagos *Reuſel* et *Bladel*, Rex Hiſp. a. 1649. tamquam partem Marchionatus Antverpienſ. ſibi poſtulabat (38). Nullus de his in *Camera Bipartita*

(36) *Graot Placaatboek*, T. II. p. 3145. T. III. p. 495. T. IV. p. 707.

(37) *Le Comte* NENY, *Memoires des Pais-Bas Autrichiens*, P. II. p. 187. ſqq. Ipſas Inaugurationis a. 1622. factae Tabulas vid. *Placaatb. van Brabant*, T. IV. p. 444. ſqq.

(38) AITZEMA *Zaken van Staat* T. VI. p. 732. DE ROY *Notit. Marchion. Imper.* R. G.

tita fuit ſermo. Manſerunt in posſesſione Belgae Fedd., donec a. 1783. nova de his ab Imp. IOSEPHO mota controverſia; et ex Pacto a. 1785. §. XII. Belgis relinquuntur (n. 1246.).

2. Abbatia ditisſima, *Postella*, a. 1651. in controverſiam ab Rege Hisp. vocata, et quomodo (39)? Haec noſtrâ revixit aetate; et ex Pacto Imperatori IOSEPHO, a. 1785. §. XII. est concesſa. Abbatia Postella.

3. *Oedenrode*, ſive *Odenroy*, in *Peellandia*, materies controverſiae, ratione Bonorum Capituli cum Episcopo Roeremondano et Legatis Hispanis (40). Odenrode.

4. Dynastia *Raveſtein*, diverſo reſpectu controverſi iuris fuit cum Imperatore, qua Duce Brab. cum Electore Palatino, ratione cum Feudi tum Subiectionis, et Religionis. De qua in ſqq. Raveſtein.

5. In Pago *Vuchta*, quae bona Prioratus Carthuſianorum hîc et alibi posſidebat, orta de his controverſia ex Pacto *Convento* inter Regem Hisp. et OO. GG. est diremta a. 1658. d. 28. Aug. (n. 495.) Pagus Vucht.

6. De Limitibus *Peellandiae*, deque ſumma in Pagum *Gemert* potestate, dicam deinceps. Peellandia.

§. LII. Altera veteris Brabantiae, nunc Belgii Feder. urbs est *Breda*, et eius territorium, titulo *Baronatus* (*Baronie*), cognitum (41). II. Breda.

Haec

(39) AITZEMA l. l. T. VII. p. 501. Cf. NENY *Memoires* P. II. p. 45.

(40) AITZEMA l. l. T. VII. p. 487. Cf. VAN HEURN *'s Bosch* T. III. p. 20.

(41) Eius Hiſtoriam ac fata prioris aevi TH. ERNST VAN

Haec Vrbs, ex omnibus Brab. Vrbibus, quae Belgis parent, ſola, cum *Venloa*, ſponte et ultro Federi Trai. a. 1579. d. 13. Sept. ſubſcripſit, ſed vi bellica a. 1581. ab hoc Federe iterum divulſa eſt. A. 1590. miro ſtrategemate Duce Gub. MAVRITIO est recuperata. Nummi cuſi. Legitima asſerta est posſesſio per Inducias a. 1609. ſeparato Articulo (n. 248.). Capta eadem a. 1625. per Marchion. *Spinolam*. Duce FREDERICO HENRICO a. 1637. Hiſpanis denuo ademta (42). Conditiones Deditionis ab FREDERICO HENRICO conceſſae (n. 358.) (43). Summum Belgarum ius est confirmatum §. III. Pacis Monast.

Eius Dynasta ſive Baro. §. LIII. Verum alio haec iure regitur atque Ditio *Sylvaducenſis*. Est enim Regio Bredana *Dynastia* Principis Arauſionenſis, *libera ac ſui iuris*, ſalvo *Homagio* Belgis Fedd. praeſtando (44). Sed pau-

VAN GOOR, *Beſchryving der Stadt en Lande van Breda*, Hag. 1744. fol. J. B. GRAMMAYE *Antiq. Bredan.* J. CHRIST. BUTKENS, *Trophées de Brabant*, T. II. p. 74. T. IV. p. 7. *Tegenw. Staat der Vereen. Nederl.* T. II. p. 201. ſqq.

(42) Cf. *Mem. de* FREDERIC HENRI p. 200. ſqq.

(43) An iure postliminii ad Fedus Traiect. rediisſe cenſenda? Vid. BYNKERSHOEKII, *Quaeſt. Iur. Publ.* L. I. C. XVI. p. 118. Quid de his actum a. 1609. VAN GOOR *Breda* p. 500.

(44) Exſtat hac de re docta Diſſ. IACOBI REIGERSMANNI, *de Baronia Bredana Federatorum Belgarum Feudo et eius Iuribus*, Leid. 1774. defenſa.

Digitized by Google

paucis abhinc annis duae Baroni motae ſunt Controverſiae ab Curia Brabantina, quae Hag. Com. ſedet, ex priſtino Brabantiae ſtatu, ut videtur, repetendae; altera *de Iuriſdictione Venatica quod ad Reformationem coram Tribunali Brabantino.* Quae felici pro Barone exitu gaviſa eſt. Altera, an quod iuris exercitium, in cognitione criminum, coërcitione, aliisve Iuriſdictionis effectibus ſibi vindicare poſſit Curia Brabantina, eiusve Procurator Fiſci.

Videntur huiusmodi quaeſtiones pendere ex diſtinctione *Dominii directi* et *ſummi Imperii*, imprimis ex praevia quaeſtione de vetuſta indole *Superioritatis Territorialis*, et agnita iurium conſervatione in Federe Traiect. Hac occaſione iſtius Baronatus iura eorumque hiſtoria accurate ſunt expoſita (45).

§. LIV. Vrbs *Bergazomenſis* cum eius Marchionatu (Belg. *'t Marquiſaat van Bergen op Zoom*). III. Berga ad Zomam.

Vrbs relictis partibus Hiſpanis a. 1577. acceſſit reliquis; poſtea a. 1609. §. III. Federe Induc. comprehenſa, finitis vero Induciis a. 1622. fruſtra obſesſa, tandem a. 1648. §. III. Pacis Monaſt. pleno iure Belgis adiudicata eſt. A. 1747. prima vice armis expugnata, a. 1748. d. 18. Oct. Pace Aquisgr. Belgio eſt reddita cum omni *territorio* ſive *Marchionatu.*

§. LV. Sed et hic *Marchionatus* dupliciter eſt conſiderandus, ratione *S. Imperantis* et *Dynaſtae.* Eius Marchio.

Pa-

(45) Vid. *Nieuwe Nederl. Jaarboeken* a. 1772. p. 495, 509. ſqq. et a. 1776. p. 905. ſqq.

Paruit illa Regio ab antiquis temporibus peculiari ſuo Domino, *de Marquis van Bergen.*

Inter hunc *Marchionem*, qui hodie est *Elector Palatinus* (46) et Ordines GG. una cum Curia Brabantina, graves ortae fuere Controverſiae de iure Regiminis, Officiarios conſtituendi, confirmandi, et de cognitione Homicidii. Origo quaeſtionum repetitur ex Edictis OO. GG. a. 1660. d. 1. Apr. (47) et a. 1661. d. 6. Sept. (48). Pro Electore Palat., qua Marchione, intercesſit Rex Gall.

Alia quaeſtio, an Elector iura ſua invitis OO. GG. in alios conferre posſit?

§. LVI. Dantur et aliae minoris momenti controverſiae.

Huibergen. 1. *Huibergen*, Monasterium, titulo *Prioratus*, in hoc Marchionatu ſitum, fuit olim cum Hispanis (49) contentionis materia.

Zevenbergen. 2. Aliam de oppido *Zevenberga* controverſiam ab

(46) De Dynastae familia, fatis, ac iuribus, eorumque per nuptias transitu ad Electorem Palatinum, LE ROI *Notitia Marchion. Antverp.* L. X. p. 479. BUTKENS *Troph. de Brab.* JANIÇON *Tegenw. Staat* T. III. p. 309.

(47) *Groot Placaat-Boek*, T. VII. p. 646. idque renovatum a. 1746. d. 4. Mart. ibid. p. 763.

(48) *Groot Placaat-Boek*, T. II. p. 2670.

(49) JO. DE WIT, *Brieven*, T. V. p. 30. *Tegenwoordige Staat der Vereenigde Nederl.* T. II. p. 181. NENY, *Memoires*, P. II. p. 47.

Digitized by Google

ab Rege Borusſiae qua herede Arauſion. a. 1717. motam, et id genus ſimilia, dicam infra.

3. Vrbs *Geertruidenberga* (50), hodie iuris Hollandici, ex Deditionis Tabulis a. 1593. d. 25. Iun. (n. 207.) pleno deinde iure Belgis asſerta *Pacis Monast.* §. III. Remanſit tamen hodiedum in *Laeto* Imp. ceu *Ducis Brab. Introitu* §. XLVIII. promisſum de hac Vrbe data opportunitate ſibi vindicanda (51). Geertruidenberg.

Controverſia ſuper *iure Decimas* exigendi inter Principem Auriac. et OO. Holl., a. 1668. coram ſuprema Holl. Curia agitata (52), et id genus aliae, non ſunt huius loci.

§. LVII. Vrbs *Moſa-Traiectum*, olim, ſed ab ipſo Ducatu, ſeiunctim posſesſa, ab CAROLO V. Imper. a. 1530. illi annexa (53), per FREDERICVM HENRICVM Gubern. victricia arma pasſim circumferentem, a. 1632. Hispanis est erepta (54), eique Deditionis Conditiones ſunt concesſae d. 22. Aug. (n. 340.). Deinde una cum *Comitatu Vroenhovenſi* ab Hisp. pleno iure Belgis ces- IV. Moſa-Traiectum.

(50) Hiſtoriam et fata illuſtravit a. 1774. V. Rev. IS. VAN NUYSSENBERG, *Korte Beſchryving van Geertruidenberg*, 8vo.

(51) NENY *Memoires* P. II. p. 193.

(52) AITZEMA *Zaken van Staat* T. XIV. p. 376, 615. WAGENAAR *Vaderl. Hiſtor.* T. XIII. p. 363. ſqq.

(53) AVB. MIRAEI *Opp. Dipl.* T. II. p. 1274. *Groot Placaat-Boek* T. IV. p. 25.

(54) *Memoires de* FREDERIC HENRI, p. 133.

ceſſa Pac. Monaſt. §. III. Hanc occupatam a. 1673. Rex Gall. LVDOVICVS XIV. ex Pace Neom. a. 1678. §. VIII. (n. 710.) OO. GG. reſtituit; et a. 1748. denuo capta eodem anno §. VI. *Pacis Aquisgr.* ex Conventione inter Gallos, Auſtriacos, Belgas, aliosque una cum Comit. *Vroenhof*, et agris *Valkenburg*, *Daalhem*, *'s Hertogenrade*, nec non cum *Pagis Redemticiis*, et *Iurisdictione S. Servatii* ab Rege Gall. reddita est.

Iura Epiſcopi Leodienſis. §. LVIII. Iura *Epiſcopi Leodienſis* uti ſub Duce Brabant. ſemper ſalva erant (55), ita in Pacto *Dediticio* §. VI, VII, VIII. a. 1632. d. 22. Aug. (n. 340.) ſunt ſervata, et ſervantur adhuc. Vnde ipſum quidem *Territorium* est OO. GG., ſed multa iurisdictionis ac Regiminis Politici capita, Episcopo et OO. GG. ſunt communia, eaque pro indiviſo adminiſtrantur, ſeparatim etiam ab reliquis utriusque Principis regionibus. Id quod anſam dedit Proverbio: *Traiectum neutri domino, ſed paret utrique.* Belg. *Een Heer, geen Heer, Twee Heeren, een Heer.*

Quamquam autem ex communi Decreto ad amputandas lites ex eiusmodi ſocietate exortas vel oriundas, multa ſtatuta ſunt a. 1665. d. 5. Ian. a. 1684. d. 17. Apr. (n. 561. et 740.) ſuccreſcunt tamen interdum controverſiae: ut fuerunt de Canonicis S. Servatii (56), de promulgandis Edictis Papalibus,

(55) BUTKENS, *Trophées de Brabant*, T. I. p. 299.

(56) AITZEMA, *Zaken van Staat en Oorlog*, T. X. p. 165.

bus, de Conſtitutione ſeu Bulla *Vnigenitus*, de Iubilaeo, de bonis Ordinis Ieſuitarum, de Scabinis eorumque affinitate.

Postulata Imp. Ioſephi II. de Moſa-Traiecto.

§. LIX. Mota nuper ab Imperatore IOSEPHO II. qua Succesſore Regis Hispan., Controverſia de *Moſa-Traiecto*. Eius origo altius est repetenda.

Respublica Belgica a. 1672. per Reges Galliae et Angliae gravisſimo bello presſa, et ad incitas fere redacta, inter alia conſilia cum Rege Hispaniae Fedus iniit Defenſionis et Auxilii a. 1673. d. 30. Aug. (n. 664.) cuius §. XVIII. OO. Belg. pro auxiliis praeſtandis Regi dare pollicentur Vrbem Moſa-Traiectum, Comitatum Vroenhovienſem, et quidquid territorii in agro Transmoſano, pagisque vicinis, urbi ſubest, eo caſu, ſi pace inita neque hanc neque alias urbes amiſisſent. Erat enim Moſa-Traiectum a. 1673. d. 29. Iun. ab Gallis occupata.

Origo Petitionis a. 1673.

Post reconciliatum a. 1674. Regem Angliae, OO. GG. a. 1678. d. 10. Aug. rebus ita ferentibus, ſeparatim cum Rege Galliae Pacem ineunt; is ex §. VIII. Vrbem Moſa-Traiectum reſtituit (n. 710.) Legatus R. Hisp. Vrbem ex Pacto Regi ſuo tradi rogat: OO. GG. a. 1679. d. 9. Aug. (n. 722.) dato Reſponſo, non negant obligationem; ſed ex eodem Federe a. 1673. §. XII. priores Regis obligationes ex Pacis Monast. §. XXIV—XXVIII. et XLV. et ex peculiari cum Princ. Aur. a. 1647. d. 27. Dec. (n. 417.) Pacto praeſtanda opponunt, urgentque debitum Principi Auriaco ſolvendum, quod iam ad *f* 7,000,000. excreverat, pro quibus pignori obligata erant omnia Regis bona ac Domania in Brabantia, adeoque etiam Vrbs Moſa-Traiect.; addunt porro fa-

factam nondum ab Rege eſſe expunctionem aeris alieni, quod Rex Hiſp. debebat Belgarum Collegiis Architalaſſicis (*de Admiraliteits-Collegien*). Ad haec Legatus Regius a. 1679. d. 15. Aug. vices reddit; urget traditionem, et Regem, quamdiu non tradatur Moſa-Traiectum, omnia Debita pro exſtinctis habiturum, declarat. OO. GG. ulteriore ſuo Reſponſo, a. 1679. d. 3. Oct. omnem a ſe averruncare criminationem ſatagunt, haud detrectare ſeſe, ut ex aequo iuſtoque res amice tranſigatur. A. 1685. iterum OO. GG. ab Rege Hiſp. efflagitant, ut, quae et ſibi et Principi Arauſionenſi debebantur, pecuniae expungerentur. Inſuper a. 1687. d. 26. Dec. (n. 753.) ſeparato Pacto, hactenus publici iuris nondum facto, inter Regem Hiſp. CAROLVM II. et Princ. WILHELMVM III. de omnibus Debitis, quae Familiae Arauſ. ex prioribus Pactis et ex Pace Monaſterienſi debebantur, ſolvendis, ita tranſactum eſt, ut §. X. Princeps WILHELMVS III. eo caſu, quo haec ſolverentur, promitteret renunciare iuri ſuo in pignus Moſa-Traiectenſe, et operam dare polliceretur, ut OO. GG. promiſſa exſolvant ſua, ita tamen, ut ſi per continuos duos annos Rex promiſſa negligat, ab promiſſis etiam liber eſſet Princeps. Saepius deinde renovata eſt huius Federis ſive Tranſactionis a. 1687. memoria, et ut Rex promiſſis ſtaret, petitum, in Fed. a. 1714. d. 26. Iun. Art. Separ. (n. 929.) in Fed. Propugnac. (*Barriere-Tractaat*) a. 1715. §. XVIII. (n. 934.) (57), in Pacto Diviſionis a. 1732. d. 16. Iun.

Conventio de illa. Conventio de illa.

Neglecta ab Rege. Neglecta ab Rege.

(57) Cuius §. X. diſerte agit de Vrbis *Moſae-Traiectenſis poſſeſſione.*

Iun. §. XIV. (n. 1003.) (58). Quievit deinde illa de Vrbe quaeſtio, altumque de ea eſt ſilentium in Fedd. ſubſecutis, Pac. Ryſv. a. 1697. Traiect. a. 1713. et ipſo Feder. Propugn. a. 1715. quamquam huius occaſione privatim *de Pagis Redemtionis* quaeſtio movebatur (59); neque eadem agitata eſt in *Feder. Viennenſis* Acceſſione a. 1732. d. 20. Febr. (n. 1003.), multoque minus Pac. Aquisgr. a. 1748. §. VI. (n. 1065.) ubi Rex Gall., cum Imperatrici tum Reipubl. Belg., ſua utrique reſtituit bona, et in his nominatim *Moſa-Traiectum.* Obliterata deinceps.

Tandem a. 1783. Imperator IOSEPHVS II. praeter alia bene multa Poſtulata, (de quibus alibi), flagrante cum Rege M. Britt. bello, et Republica inteſtinis disſidiis agitata, ex illo veteris Promiſſi a. 1673. titulo, Vrbem cum annexo Territorio ſibi poſtulavit. In utramque partem multa prodierunt ſcripta. Pro Imper. inter alia literas edidit ſatis acerbas LINGUET, *dans ſes Annales Politiques, Civiles*, etc. Pro Belgis ſtetit Auctor *de l'Etonnement de l'Europe.* Sed miſſa privatorum ſententia exitus fuit Pactum Conventum a. 1785. d. 8. Nov. (n. 1246.) cuius §. XV. OO. GG. Vrbem et eius Territorium compenſarunt ſumma *f* 9,500,000. Reſuſcitata a. 1783.

§. LX. Ad Territorium *Moſa-Traiectenſe* pertinet

1. *Comitatus Vroenhovienſis*, qui tribus conſtat Comitat. Vroenhove.

Pa-

(58) Cf. NENY, *Memoires*, P. II. p. 42. *l'Etonnement de l'Europe*, p. 133.

(59) LAMBERTY, *Memoires*, T. IX. p. 20. ſqq.

Pagis, praeter ipſius Vrbis, quam complectitur, partem. Et hic Pac. Mon. §. III. Belgis aſſignatus, legibusque eorum ſubiectus.

Pagi Redemtionis.

2. *Pagi Redemticii* ſive *Redemtionis*, numero *octo* (60). Nomen habent a *redimendo* Tributo, quod tum vicino Imperatori, tum Belgis ſolvebatur. Hos occupatos Rex Gall. a. 1678. Pac. Neom. §. VIII. reſtituit; eosdem ſibi a. 1715. vindicare, ſed fruſtra, annixus Dux Brabantinus. De Pago *Hermale* ſeparatim quaeſtio fuit inter Imp. qua Ducem Brab. et OO. GG. a. 1738. Exſtincto iure *redemtionis* in Imperatorem transſcriptus est ex Feder. a. 1785. §. XX. una cum *Falais* et *Argenteau*. De reliquis transactum eodem §. XX.

Iurisdictio S. Servatii.

3. Pagi XI. varie disperſi, trans et cis Moſam, vulgo *Iurisdictio S. Servatii* (61). De his quoque transactum cum Imper. §. XIV. ſq., a. 1785.

V. Vrbs Grave et ager Kuik.

§. LXI. *Oppidum Grave* et *Ager Kuikenſis*. Haec Vrbs (62), postquam a. 1586. ſub Duce Parmenſi in manus Hisp. pervenerat, a. 1602. d. 28.

(60) Nomina habent NENY, *Memoires*, P. II. p. 43. *Tegenwoordige Staat der Vereenigde Nederl.* T. II. p. 370.

(61) Nomina, *Tegenwoordige Staat der Vereenigde Nederl.* T. II. p. 367. Cf. NENY, *Memoires*, P. II. p. 44.

(62) Eius hiſtoriam et fata dedit DIDERIK PARINGET, auctus ab PAULO VAN ALEN, *Beſchryving van de Stad Grave en Landen van Kuik*, Traiect. 1752. II. Voll. 4to.

28. Sept. (n. 229.) ex formula Deditionis Belgio Feder. iterum adiecta est. Quum partem Agrorum ſibi peteret Archidux, Ordines Fedd. a. 1609. d. 20. Aug. (n. 257.) poſt Inducias *Vrbem* et *Territorium* arctisſime coniunxerunt. Plenum horum ius agnitum est *Pac. Mon.* §. III. quamquam adhuc in *Laeto* Ducis Brab. *Introitu* de vindicando iure in Graviam identidem ſtipulatio occurrat (63).

Hanc Regionem CAROLVS V. in Feudum dedit Florentio Comiti *de Buren*, pro *f* 20000. Eam ab filio Comitis *Maximiliano* redditam CAROLO V. PHILIPPVS II. Rex Hisp. a. 1559. d. 7. Maii (n. 141.) denuo oppigneravit WILHELMO Princ. Auriaco, eodem quo ipſe Rex tenebat iure posſidendam, datis Pecuniae *f* 110,000. ſalvo iure *redimendi*.

Post Vrbem a. 1602. recuperatam, MAVRITIO WILHELMI filio in posſesſionem immiſſo, OO. GG. exſtincto iure *redimendi*, ſimulque, quod ſingulare Brabantinorum est, iure *Devolutionis* a. 1611. d. 9. Dec. (n. 266.). Feudi hereditarii titulo in ipſum contulerunt. Confirmavit Ordinum GG. factum Rex Hisp. Pac. Mon. §. XLIX. isque omni iuri *Redimendi* in favorem Familiae Auriacae renunciavit, idque ex Ordinum promisſis in Tabulis a. 1611. (64).

§. LXII.

---

(63) NENY, *Memoires*, P. II. p. 193. Cf. VAN ALEN, T. I. p. 200. ſqq.

(64) Add. JANIÇON, *Tegenw. Staat*, T. III. p. 44. ſqq.

Digitized by Google

Arx Lilloa.

§. LXII. Brabantini Territorii eſt *Lilloa*, eaque duplex, *vetus* et *nova*. *Vetus* erat Pagus (vulgo *Oud-Lillo*) dictus Brabantiae Auſtriacae territorio incluſus, quem ſibi a. 1781. vindicavit Imper. IOSEPHVS.

Nova Arx eſt ſeu *Munimentum* ad Scaldim cum adiectis in vicinia aliis, quibus nomina *Frederik Henrik*, *Kruisſchans*, etc.

Arx *Lilloa*, ab a. 1583. OO. GG. poſſeſſio, ſq. anno munita, eaque una cum Arce *Liefkenshoekia*, e regione excitata, navigationem Scaldis fluv. Belgis tutam, hoſtibus infeſtam facit (65); a. 1588. fruſtra ab Hiſp. obſeſſa, Pac. Mon. §. III. Belgis confirmata, et ex §. LXVIII. diſiiciendae eius Munitiones: id quod idem facere Regi in Flandriae Arcibus incumbebat. Ex Pacto a. 1785. §. VIII, IX. hanc, ut erat, munitam cum reliquis, ſed Belgarum impenſis diſiiciendis, Imperator ſibi accepit.

Belgo-Brabantiae Status Regiminis.

§. LXIII. De omni hac Belgio-Brabantia, vi armorum maximam partem ab Fedd. vel ſubacta vel recuperata, alia ſubinde controverſia intus agitata ratione ſummi Imperii, utrum nempe cives aequali iure partem conficiant Liberae ipſius Reip., an vero ſint *Socii*, an inſtar *ſubditorum* habendi. Durante bello cum Hiſpanis ſaepius hanc controverſiam moverunt Brabantini, a. 1631. et a. 1646. (66).

Finito bello Brabantini denuo ab OO. GG. petie-

(65) Sunt verba IO. DE LAET, *Belgic. Deſcr.* p. 317. Cf. JANIÇON l. l. T. III. p. 403.

(66) De his VAN HEURN, *Beſchryv. van 's Hertogen-Boſch*, T. II. p. 476. ſqq. 533. Cf. JANIÇON, *Te-*

tierunt, ut in Fedus Traiect., unde vi bellica maxime avulſi erant, et ad conſultationes de ſumma Rep., postliminio admitterentur, neque amplius pro parte acceſsoria haberentur (67). Deinde a. 1651. in ſollemni Conventu OO. GG. extraordinario, tria potisſimum capita urſerunt, de Curia Brab. in ſuo territorio figenda; de peregrinis ad munia non promovendis; de Tributis non ſine conſenſu imponendis (n. 250. et 438.) (68). Sed hoc inconſultum eo tempore viſum est. Verum haec non ſunt huius loci.

§. LXIV. Sequitur *Flandriae* Territorium (*Staats-Vlaanderen*). Mitto hîc perpetuas fere, quae olim inter *Hollandiae* et *Flandriae* Principes interceſſerunt, Controverſias *de Flandria* et *Zeelandia*, quae tandem ex inſtituta a. 1323. permutatione conſopitae ſunt (69). Belgo-Flandria.

Hodie ad Flandriam, quae Belgarum Federatorum est, referuntur oppida *Hulst*, *Sluſa*, *Axel*, *Biervliet*, *Ter Neuſe*, *Sas van Gent*, cum agris annexis et munimentis nonnullis.

Haec

Tegenw. Staat, T. III. p. 171. ſqq. *'t Leven van* WILLEM II. p. 353. ſq.

(67) VAN HEURN l. l. T. III. p. 7. *Tegenw. Staat*, T. II. p. 4. WICQUEFORT, *Hiſt. des Prov. Preuv.* p. 247. ſqq.

(68) Cf. BYNKERSHOEK. *Iur. Publ. Quaeſt.* L. I. C. XVI. p. 118. Add. AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. VII. p. 330.

(69) De his affatim egi in *Hiſtoria* mea *Critica Comitatus Hollandiae* et *Zeelandiae*, T. I. P. II. Excurſ. VII.

De finibus diuturnae lites.

Haec omnia ex Pac. Mon. §. III. quiete poſſidet Respublica. Sed haeſit ſemper dubitatio circa extenſionem Limitum per Flandriae agros, cum ad Mare tum ad fluv. Scaldim, idque iam ab tempore Induciarum a. 1609. Neque de his quidquam Pace Mon. definitum, niſi quod ex §. LXVII. *limites ex aequo bonoque* esſent definiendi; ſi quid vero controverſiae oriretur, illud *Tribunali Bipartito* ex §. XXI. committeretur. Secuta est Transactio in-

Compoſitae tandem a. 1664.

ter Regem Hisp. et OO. GG. ſeu *Fedus Limitaneum* a. 1664. d. 20. Sept. (n. 558.) cuius §. VI. Reip. nominatim asſignantur Munitiones *Spinola* et *Liefkenshoek*. Subortis vero difficultatibus illud in Belgio Auſtriaco promulgatum demum est a. 1668. d. 4. Iul., ſerius in Republ. a. 1669. d. 7. Mart. Postquam vero ex bello ſociali *Pace Traiect.* a. 1713. d. 11. Apr. (n. 910.) *Belgium Hispanicum* Rex Gall. teneretur tradere in manus et potestatem Ordinum Belg. Feder., ea interiecta conditione, ut OO. GG. has Regiones Imperatori traderent, ſimulatque inter ipſos de novo *Federe Limitaneo* convenisſet: ſecutum est paullo post Nobilisſimum il-

Nova finium deſcriptio a. 1715.

lud Fedus *Antverpienſe* (vulgo *'t Tractaat van Barriere*) a. 1715. d. 15. Nov. (n. 934.) inter Imp. CAROLVM VI. PHILIPPVM V. Regem Hispan. et inter OO. Belg. et GEORGIVM, Regem M. Brit. cuius §. XVII. *Limites Flandriae* ſunt conſtituti, et longe extenſiores Reip. concesſi, complexi inter alia *Munimentum S. Donatiani* et Pagum *den Doel* (70). Nonnulla vero dubia ſuggerente Flandria,

(70) Omnem Hiſtoriam *Europ. Mercur.* a. 1716. P. I.

dria, tandem Articulus ille *Nova Conventione* a. 1718. d. 22. Dec. (n. 960.) inter Imp., Regem Angl. et OO. Belg. Feder. ampliatus est. Addita ſunt et alia a. 1719. d. 28. Oct. Hoc Fedus Limitaneum ulterius confirmatum est, Feder. Viennenſi a. 1731. d. 16. Mart. §. I. (n. 999.) Tandem *Pace Aquisgr.* a. 1748. §. VI. (n. 1072.) inter Gallos, Imperatorem, et Belgas Fedd. quidquid ante bellum Belgae, quidquid Imperator habuerant, id denuo redditum est. Vel ſic tamen Imperatori viſum est a. 1783. ſibi vindicare Munimentum *S. Donatiani*, et Pagum *Doelenſem*. Ex Pacto deinde Convento a. 1785. d. 8. Nov. (n. 1246.) quidquid illic est fluvii Scaldis usque ad Zantflietam, §. VII. evaſit Iuris Imperatorii, ac limites Flandriae iterum ſunt coarctati ſecundum prius *Fedus Limitaneum* a. 1664. et quae Arx *Liefkenshoekia* ex eodem Federe a. 1664. §. VI. iuris erat Belgarum ſemperque manſerat, eandem ac *Lilloa* ſortem experta, et petenti IOSEPHO impertita est, §. IX. nihil quidquam in his adiuvante *Guarantia* Regis M. Brit. quocum bello irretita erat Respublica Federatorum.

Saepe confirmata.

Denuo immutata a. 1785.

§. LXV. Tertia Pars est *Limburgenſis* ſive *Regio Transmoſana*. Sic vocatur, habita ratione ſitus Brabantiae, cui olim parebat, (Belg. *'t Land van Overmaas*). Amplus terrae tractus, qui tria comple-

Regio Transmoſana.

P. I. p. 25. 180. 213. et P. II. p 220. NENY, *Memoires*, P. I. p. 134. 141. 144. 152.

pleċtitur oppida, *Valkenburg* (Gall. *Fauquemont*) *Daalhem*, et *'s Hertogenrade* (Gall. *Rolduc*).

Dubii olim iuris. Hanc Regionem una cum totius Ducatus Vrbe Metropoli *Limburgo* a. 1632. Belgae, Duce FREDERICO HENRICO, armis occuparunt (71). Nonnulla deinde amiſsa. Pace Mon. §. III. nihil certi ſtatutum; et remiſsa res est ad Tribunal *Bipartitum*. Orta deinde controverſia, ad manus ventum est, et ex Pacto temporario a. 1658. d. 25. Febr. et 27. Mart. (n. 488.) omnis Regio in duas partes aequales diviſa, et a. 1659. d. 13. Dec. (n. 510.) iterum cautum per ſic dictum *Interim*.

Diviſiones variae. Transactum tandem ex ſollemni Partitione a. 1661. d. 26. Dec. (n. 527.) Federis exſecutio limitumque conſtitutio utrimque Delegatis mandata a. 1663. d. 29. Sept. (72), Leges ab OO. GG. tunc praeſcriptae a. 1663. d. 15. Oct. (73). Quae deinde armis Rex Gall. occupavit, ea Pac. Neom. a. 1678. §. VIII. reſtituit (74).

Pagi dubii. §. LXVI. Quae vero lites a. 1661. coram Curia Brab. Bruxell. pependerant indeciſae de *Dynastia Elslo* in Agro *Valkenburg*, et de ditisſima Abbatia *Berneau* in Agro *Daalhemenſi*, illae Pacto Con-

(71) AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. III. p. 49—53. Cf. VAN HEURN l. l. T. II. p. 482.

(72) AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. X. p. 151—183. 571. ſqq. 814—822.

(73) *Groot Placaat-Boek*, T. II. p. 3091—3131. et T. V. p. 771. et 796.

(74) Cf. MABLY, *Droit Public*. T. I. P. II. p. 77.

Digitized by Google

Convento cum Imper. a. 1785. §. XXII. ſq. (n. 1246.) ſunt compoſitae, conventumque inſuper eſt §. XXIV. ut de *finibus terrae Transmoſanae* regundis per Delegatos intra Menſis ſpatium ſtatuatur.

Alia fuit de poſteriore, *Elslo*, cum Electore Palatino, id *Feudum Iuliacenſe*, contra OO. *Feudum Brabantinum* contendentibus, controverſia (75).

Eodem Federe, a. 1785. ex iis, quae OO. posſederant, Oppidum et Arx *Daalhem* cum pagis aliquot, §. XVIII. facta ſunt Iuris Imperatorii; pro iisdemque §. XIX. nonnulla Belgis ceduntur. Vid. ſupra.

Exſtat et Pagus *Vaals*, prope urbem Aquisgran: qui iuris eſt Belgarum Feder., ſed ex urbis Vicinia et Religione publica turbata quies civium eſt a. 1763. (76) et a. 1777. (77). Pagus Vaals.

§. LXVII. Dignae et hic ſunt, quae memorentur, Literae *Proteſtationis* Regis Boruſsiae, qua Electoris Brandeb. adverſus tentatam a. 1663. permutationem Dynastiae de *Raveſtein*, quae Comitis erat Palat. Neoburg. cum nonnullis agris *Transmoſanis* OO. GG. (78); nec non interceſsio OO. GG. apud Imper., conatum transferre *Ducatum Lim-* Tentatae permutationes.

(75) Add. JAC. MOSER, *Diſſert. de dubiis Regni Germ. finibus modernis.* §. VII. Fr. ad Viadr. 1737.

(76) *Nederl. Jaarboeken*, a. 1763. p. 777. a. 1764. p. 234. ſqq.

(77) Ibid. *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1777. p. 1396. ſqq.

(78) AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. X. p. 992. ſqq.

Digitized by Google

Limburg. in ius *Electoris Palatini* a. 1715: utpote contrarium *Federi Limitan.* a. 1715. §. II. (n. 935.).

Gelriae ſuperioris fata.

§. LXVIII. Quarta est *Gelria Superior*. Gelriae quatuor olim partes, ſive Territoria, *Neomagenſe*, *Zutphanienſe*, *Velua*, et *Roermondanum*. De poſtremo hic ſermo, Belgice *Opper-Geldre*. Hodie haec varios inter Principes diviſa. Maior pars paret Regi *Borusſiae*; nonnulla habet Imperator. Reliqua ſunt Belgarum Federatorum; neque ea unquam postliminio *Ducatui Gelriae* coniuncta.

De hac Gelriae portione, quae partes Hispanas ſequebatur, Pac. Mon. a. 1648. conveniri nequitum est. Sed §. LII. facultas Belgis relicta compenſandi aliis tantidem valituris. Quod factum non est. Conabantur a. 1667. Hispani hanc Gelriae Superioris partem pro quadam pecuniae ſumma pignori tradere Belgis (79); ſed ſine effectu. Hoc ineunte ſeculo, in bello Sociali bona pars Tractus *Roermondani* armis ſociis est occupata; in Pacis vero Tractatione *Geertruidenbergenſi* a. 1709. ſq. inter Imperatorem, Anglos, et OO. GG. cum Gallis §. XXII. ſtatutum erat, ut OO. Fedd. iure proprio ſibi haberent omnem *Gelriam Superiorem* (80). Sed Pacis Conditionibus incasſum cadentibus, *Superior Gelria* nunquam Belgis integra paruit; ſed tantum partes nonnullae.

§. LXIX.

(79) Rem vid. apud DE WIT, *Brieven*, T. IV. p. 634. 724.

(80) LAMBERTY, *Memoires*, T. V. p. 288. 299.

§. LXIX. In his Oppidum *Venlo*, quod conditum olim REINALDO II. Duce Gelriae, a. 1579. d. 11. Apr. ultro Federi Traiectino ſubſcripſit. Vrbs ab Hiſp. occupata a. 1586., fruſtra ab MAVRITIO obſeſſa a. 1606. ab FREDERICO HENRICO Gubern. ſub Belgarum poteſtatem a. 1632. redacta eſt (81). Sed ab Hiſpanis iterum recuperata a. 1637. (82) ex *Pac. Mon.* manſit ditionis Hiſpanicae. Eamdemque Rex Hiſp. ab Gallis bello preſſus a. 1668. d. 9. Apr. (n. 607.) Belgis pignori dare conſtituerat una cum oppido *Gelra*, et locis nonnullis munitis *Stevenswaart*, etc. Sed res effectu caruit. Vrbs Venloa.

In bello vero Sociali per OO. Fedd. a. 1702. d. 23. Sept. ex Formula Deditionis (n. 859.) eſt occupata, Imperatore fruſtra annitente partem praedae ex mutuo Federe ſibi vindicare (83). Legitima poſſeſſio ex promiſſis Federis Trai. a. 1713. per Imperatorem eſt confirmata in Feder. Limitan. a. 1715. d. 15. Nov. §. XVIII. una cum Munitionibus *S. Michaëlis* et *S. Stevenswaart* (84). Cedit Belgis.

De

(81) *Memoires de* FREDERIC HENRI, p. 209. AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. III. P. I. p. 7. *Groot Placaat-Boek*, T. II. p. 647.

(82) AITZEMA, l. l. T. IV. p. 550.

(83) LAMBERTY, *Memoires*, T. II. p. 228.

(84) Cf. JANIÇON, *Tegenw. Staat*, T. IV. p. 179. *l'Etonnement de l'Europe*, p. 228. NENY, *Memoires*, T. I. p. 190. T. II. p. 60.

Digitized by Google

De publico Religionis cultu per OO. cautum eſt a. 1719. (85) ibidemque a. 1717. uti inter partes convenerat, ab OO. GG. erectum est *Tribunal Supremum Venloae* (vulgo *'t Hof van Venlo*) (86). Lites cum Episcopo Ruremondano ſuper Religione compoſitae ſunt a. 1733.

Mont-foort Iuris Belg.

§. LXX. *Montfoort* Dynastia eodem iure nititur quo *Venloa*. Hodie Territorii Belgarum Fedd. est ex Federe Limitan. a. 1715. §. XVIII. (n. 954.) cum pagis et agris annexis, ſalvo iure Regis Boruſſ., et Imperatoris duos in Pagos *Swalmt* et *Elmt*.

Poſſeſſio Princ. Arauſion.

Hanc Dynastiam Rex Hispan. ex Pacto a. 1647, d. 8. Ian. (n. 407.) ad aeſtimationem Redituum *f* 25000 ceſſit FREDERICO HENRICO Princ. Auriaco, ad expungenda Regis H. debita (87). Illo mortuo aucti ſunt Reditus ad *f* 32000. et confirmata Poſſeſſio ſub nexu Feudali, et ſalva Religione Rom. Catholica, inito novo cum Rege Pacto a. 1647. d. 27. Dec. (n. 417.) Rata haec habita ſunt *Pac. Monast.* §. XLV. Sed non praeſtitis a Rege conventis, novo Pacto omne ius Regis Principi Auriaco traditum a. 1652. et is ſollemniter inauguratus est a. 1653.

§. LXXI.

(85) *Groot Placaat-Boek*, T. VII. p. 576—578.

(86) De cuius Erectione Decreta OO. a. 1717. d. 5. et 25. Iun.

(87) Cf. NENY, *Memoires*, P. I. p. 81. et *Polit. Reflectien van Staat*, p. 59.

§. LXXI. Sed de hac Dynaſtia aliae Controverſiae, et quidem

Controverſiae novae.

1. Cum Rege Borusſiae. Defuncto nempe WILHELMO III. Princ. Auriac. a. 1702. ſine liberis, Rex Boruſſ. hanc ſibi vindicabat adverſus IOHANNEM WILHELMVM FRISONEM (88), ex Teſtamento WILHELMI III. heredem. Manſit iuris Regii ex Pacto Diviſionis a. 1732. (n. 1006.), donec eam Rex a. 1769. d. 8. Iun. optimo iure transtulit in Princ. WILHELMVM V.

2. Alia fuit a. 1717. Regis Boruſſ., qua Dynaſtae cum ipſis OO. controverſia de *Feudis* nonnullis, quae ab illa pendere Rex cenſebat.

3. Alia ſunt Controverſiarum Capita Principis WILHELMI V. cum Curia ſuprema *Venloënſi*, de Decimis Novalibus, de cenſu praediali, de ericetis et terris incultis, aliisque iuribus (n. 1160.).

§. LXXII. *Erkelens*, oppidum cum territorio, olim ditionis Belgicae a. 1711. d. 29. Dec. occupavit Imp. CAROLVS VI., exceptum icc irco in Pacto cum Rege Boruſſ. a. 1713. §. II. (n. 909.). Eius ius agnitum a. 1715. Ceſſit Imperator Electori Palatino a. 1719. d. 1. Maii, qui illud pignori collocavit a. 1727. Dynaſtae de Franquen.

Erkelens oppidum.

DE

(88) Huc ſpectat Fedus Propugn. a. 1715. §. XVIII. (n. 954.). Cf. *Ampla Iuris Expoſ.* (n. 852.) p. 60. *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1775. p. 685. JANIÇON, *Tegenw. Staat*, T. IV. p. 172.

Digitized by Google

DE

IVRE *PROPVGNACVLI* ET *PRAESIDII* IN BELGIO HISPANICO, HODIE AVSTRIACO, ADVERSVS GALLOS, VVLGO *LE DROIT DE BARRIERE*, ETC.

Origo Praeſidii.

§. LXXIII. Quae cauſſa inde ab agnita per Pacem Monast. Reip. Libertate, Belgas tenuit occupatos, ac longam calamitatum, bellorum, et federum, ſeriem progenuit; fuere conamina praeſtandae ſibi ſecuritatis adverſus vicinam nimis Gallorum potentiam (89). Vnde iam mature omnium ore pervulgatum fuit illud: *Gallum amicum habeas, non vicinum* (90).

Galli Belgis aequi.

Egregia durante cum Hiſpanis bello ab primordiis inde Reipubl. fuerunt Regis Galliae erga Belgas merita et auxilia; de quibus infra. Postquam vero Belgis ſuboluerunt Regis Galliae conſilia de *Belgio*

(89) Vid. MABLY, *Droit Publ.* T. II. p. 4. et in primis le Marquis DE LA TORRE, *Memoires des Negotiations Secrétes*, T. II. p. 356. ſqq.

(90) JO. DE WIT, *Brieven*, T. II. p. 438. 548. 564.

Digitized by Google

gio Hiſpanico, quod Gallos inter ac Remp. paries erat intergerinus, ſibi vindicando, eoque cum *Catalonia* ab ipſo occupata permutando (91); ab hoc tempore Belgae, quamvis ringente Rege, non modo Pacem Monaſterienſem cum Hispanis feſtinarant, ſed ingens etiam ſecuta erat animorum et Syſtematis Belgici immutatio. Hinc durante adhuc Gallos inter et Hiſpanos bello usque ad Pacem Pyrenaeam a. 1659. Belgae, Hiſpanorum antea hoſtes, nunc evaſerant adiutores. Immo iam a. 1656. ipſa vox *Barriere*, ſive *Obex*, adverſus Gallos audita est. Oblatum ab Hiſp. non modo in primariis Belgii Hiſp. Vrbibus *ius praeſidii*, ſed propoſita etiam Reipubl. Belgicae arctior omnium Regionum XVII. conſociatio ad communem contra Gallos defenſionem (92). Multa adverſum nitebatur Rex Galliae (93).

Minus aequi.

Belgio Hispan. inhiant.

§. LXXIV.

---

(91) Quod manifeſto apparuit ex literis interceptis Cardinalis MAZARINI, primi Regis Miniſtri.

(92) Exſtat in *Catalogo MS. Federum*, quorum Tabulae Autographae aſſervantur in Scriniis OO. GG. mentio *van een Propoſitie van Spanje tot een Alliantie van Defenſie van 't gemeene lichaam der Nederlandſche Provincien*, a. 1656. d. 21. Iul. Alia a. 1661. d. 16. Dec. Cf. JO. DE WIT, *Brieven*, T. I. p. 458.

(93) Vnde facile explicanda conſilia *de Belgio Hiſpan.* post Regis Hiſp. mortem *in formam Reip. redigendo.* Vid. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XIII. p. 107. 111. 130. ſq. Cf. LA FARGUE, Libr. *Het regt en de geſteltenis der Barriere in de Nederlanden*, p. 18. 21.

quae-

Digitized by Google

Variis temporibus.

§. LXXIV. Hic nempe mortuo Rege Hiſp. a. 1665. *nomine uxoris*, *ex iure Devolutionis*, hanc Belgicam ſibi vindicare conabatur, Belgae vero
a. 1665. Fedd. his conatibus omnium maxime obſtiterunt. Qui inter alia ſcopus fuit Federis *Tripartiti* (*Triple Alliantie*) inter OO. GG. *Reges Angl.* et *Sueciae*, a. 1668. d. $\frac{13}{23}$. Ian. et d. $\frac{15}{25}$. Apr. (n. 603, 608—610.) (94). Effectus fuit *Pax Aquisgran.* inter LVDOVICVM XIV. Regem Gall. et CAROLVM II. Regem Hiſp. a. 1668. d. 2. Maii (n. 612.) pro eaque fideiuſſit Reſpublica a. 1669. d. 7. Maii (n. 617.).

a. 1672. ſqq. §. LXXV. Nova identidem ſe manifeſtarunt conamina et conſilia, a. 1669. et 1672. neque aliunde ex parte repetenda tot Federa, potiſſimum ab Belgis cum Rege Hiſpan. inita, a. 1671. d. 17. Dec. (n. 631.) a. 1672. d. 22. Febr. (n. 632.) a. 1673. d. 30. Aug. (n. 664.) a. 1680. d. 10. Iun. (n. 728.) cautumque imprimis *Pac. Neom.* a. 1678. §. VI. (n. 710.) ne Belgium Hiſp. fieret *Iuris Gallici*. Vi et armis res denuo acta a. 1683. quan-

---

quaeque plura huc pertinent in Literis D'ESTRADES, IOH. DE WIT, et alibi.

(94) *Tous les Hiſtoriens conviennent que le but de la Republique fut d'empecher* LOUIS XIV. *de reunir les Pays-Bas et la Franche Comté à ſa Couronne*, inquit Auctor *de l'Etonnement de l'Europe*, p. 42—44. Cf. SYLVIUS, *Vervolg op* AITZEMA, T. I. p. 3. MABLY, *Droit Publ.* T. I. P. II. p. 195. cum not. et JOH. DE WIT, *Brieven*, T. IV. p. 690.

quando Rex Gall. post longas Controverſias a. 1680 — 1682. tandem Flandriam invadit, multasque Belgii Hispanici Vrbes occupavit; unde implorato ab Hisp. Belgarum auxilio (95) natae ſunt inſignes in Belgio, et in Holl. inter Proceres discordiae, ipſasque inter Provincias famoſae Controverſiae, quas recenſere hic non vacat.

§. LXXVI. Tertium ſe exſeruit conamen a. 1689. a. 1689.
quando contra Inducias Vicennales a. 1684. d. 15. ſqq.
Aug. (n. 743.) inter Gall. et Hisp. initas, quas Respublica promoverat (96), Rex Gall. Belgium iterum invaſit. Vnde repetenda tot Federa inter Anglos et Belgas, a. 1689. d. 29. Apr. et d. $\frac{14}{24}$. Aug. (n. 763. 770—773.) nec non Magnum, quod vocant, Fedus inter Imperat. et Belgas a. 1689. d. 12. Maii (n. 765.) cuius Federis prologus rem omnem aperit. Quo in bello egregiam etiam Belgae operam Hispanis adverſus Gallos navarunt, usque ad *Pacem Rysvic.* a. 1697. d. 20. Sept. (n. 810. ſqq.) cum inter Gallos et Hispanos, tum inter Gallos, Belgasque, et alios Belli ſocios.

§. LXXVII. Verum longe gravior aperta est a. 1701.
ſcena paullo post Pacem Rysvic. Ex quo enim CA- ſqq.
ROLVS II. Rex Hisp., Princeps infirmus, videbatur eſſe morti proximus: ingens Europam pervaſerat metus, ne exſtinctâ linea Mascula Principum Au-

(95) Vid. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XV. p. 50. 57 — 83. 131.

(96) WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XV. p. 245. ſq. T. XVI. princ.

Auſtriaca, quae Regnum Hiſpan. ſimul et Belgicam Hereditatem poſſidebat; ex defectu *Legis Pragmaticae* de *Succeſſione*, et ex priori Regis Gall. de iure uxorio contentione, multi forent competitores, et hinc, ut fit, bella ex bellis ob ampliſſimam hereditatem proſeminarentur. Quae ut caverentur, utque omnium competitorum qualiscumque haberetur ratio, provida cura WILHELMI III. Regis Angl. et OO. GG. cum Rege Gall. LVDOVICO XIV. (inſcio CAROLO, raro utique exemplo!) in antecesſum Fedus inierunt a. 1698. d. 11. Oct. (n. 828.) quod a ſcopo dictum fuit *Fedus Diviſionis*, (Gall. *le Traité de Partage*) ex quo omnia CAROLI II. Regis Hiſpaniae Regna, Principatus et Dominia ita dividerentur, ut PHILIPPVS Andeg. LVDOVICI XIV. ex filio nepos, ſortiretur Regna *Siciliae*, Ditiones *Hetruriae* ac Provinciam *Guipuscoam*, IOSEPHVS FERDINANDVS, maximus natu filius Electoris Bavar. CAROLI II. ex ſorore nepos, Regna *Hiſpaniae*, *Indiam* utramque, et ditiones *Belgo-Hiſpanicas*, CAROLVS ſecundogenitus LEOPOLDI Imp. filius, Auſtriae Archidux, Ducatum *Mediolanenſem*; ita ut ſi IOSEPHVS obiret, pater eius *Elector Bavar.* filio ſuccederet. Additur §. II. mutua *Guarantia*, et Auxilii promiſſio.

Fedus I. Partitionis.

Fedus II. Partitionis.

Principe vero Bavaro IOSEPHO, a. 1699. d. 6. Febr. inopinata morte exſtincto, iidem Principes a. 1700. d. $\frac{3}{13}$. Mart. (n. 838.) alterum *Diviſionis Fedus* inierunt, quo PHILIPPO Andegav. cederent Regna *Siciliae*, Ditiones *Hetruriae* et Provincia *Guipuscoa*, LEOPOLDO IOSEPHO CAROLO Duci Lotharing. Ducatus *Medio-*

Digitized by Google

diolanenſis; CAROLO Regna *Hispaniae*, *India* utraque, et *Belgium Hispanicum*.

§. LXXVIII. Haec vero omnia quomodo interverterint Gallorum conamina et arcana conſilia in aula cum Hispanica, tum Romana, et alibi, exponunt Scriptores (97). Intervenit Regis Hispaniae CAROLI II. Testamentum, a. 1700. d. 2. Oct. (n. 840.) clam conditum, ex quo PHILIPPVM Andegav. LVDOVICI XIV. ex filio Nepotem totius Succesſionis Hispanicae, nec non *omnium Ditionum Belgicarum*, ex asſe ſcripſit heredem. Testamentum Caroli II

§. LXXIX. Defuncto paullo post CAROLO, re palam facta, obſtupuit Europa. Rex Gall., posthabitis *Partitionis* Federe, et ſollemni Vxoris ſuae renunciatione in Monarchiam Hispanicam, hoc innixus Testamento ſuum ex filio Nepotem Regem renunciat; inito ſtatim cum illo Federe ſibi ſtipulatur Ducatum *Mediolanenſem*, et omne *Belgium Hispanicum*, nec non Ius Commercii Indiae Orientalis Mutata Regis Gall. mens.

(97) De induſtria id egerunt Mr. DE LA TORRE, libro: *Memoires contenant l'Hiſtoire des Negociations Secrètes des Cours de l'Europe pour le Partage des Royaumes de l'Espagne, jusqu'à la priſe de Posſesſion des Pays-Bas par les Troupes Françoiſes; comprenant auſſi l'Hiſtoire du Droit de Barriere des Provinces Unies*, Londr. 1749. II. Voll. 8vo. et Mr. le Marquis DE TORCY, *Memoires des Negotiations Secrètes*, Belg. Verſ. Traiect. 1758. III. Voll. titulo: *Memorien om te dienen tot de Hiſtorie der Onderhandelingen ſedert het Tractaat van Ryswyk tot den Vrede van Utrecht*,

lis (98); et arreptis ſubito armis Belgium invadit; occupat; copias Belgarum Fedd. ad 12000 milites ex priore cum CAROLO II. Pacto in Praeſidiis collocatas una fere nocte eiicit (99). *Quo ipſo Rex Gall.*, dicente STRVVIO (1), *univerſam contra ſe concitaret Europam.*

Belgarum Conamina.

§. LXXX. Egregia ſane tunc Belgarum fuere conamina de conſervando *Iure Praeſidii* (2), ſed exortum tunc bellum est funeſtisſimum, idque ex coniunctis multorum viribus *Sociale* dictum; ab Hiſtoricis tantum non omnibus deſcriptum; propter periculi communionem; quae et anſam dederunt

Et Federa.

1. Celebri illi Federi inter LEOPOLDVM Imper. WILHELMVM III. Reg. M. Brit. et OO. Belg. Feder. (vulgo *de groote Alliantie*) a. 1701. d. 7. Sept. (n. 846.). Cuius ſcopus ex antedictis coniici facile potest (3). In huius §. V. pro Sociis Belgis

(98) Vtor verbis STRVVII, *Corp. Hiſtor. Germ.* p. 1422. (36).

(99) DE LA TORRE, *Memoires des Negotiations Secrétes*, T. II. p. 310. 339. ſqq. *Europ. Merc.* a. 1701. P. I. p. 179. 219. P. II. p. 208. *Groot Placaat-Boek*, T. V. p. 1.

(1) STRVVII, *Corp. Hiſtor. Germ.* p. 1422.

(2) LAMBERTY, *Memoires*, T. I. p. 403. 473.

(3) Cf. STRVVII, *Corp. Hiſtor. Germ.* p. 1426. NENY, *Memoires*, P. I. p. 201. *l'Etonnement de l'Europe*, p. 71. ſq. et WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XVII. p. 51. T. XIX. p. 94. Vti vero arma, ſic et opiniones diverſae de hoc bello, eius iustitia, necesſita-

gis ſpondent Principes, omnes intendere nervos, ut Provinciae Hiſpano-Belg. recuperentur, „ *ut ſint* „ *obex et repagulum, vulgo Barriere, Galliam a* „ *Belgio Federato removens, et ſeparans, pro ſecu-* „ *ritate OO. GG. quemadmodum ab omni tempore* „ *inſervierunt, donec Rex Chriſtian. nuper eas* „ *milite ſuo occupavit.*" Caventque idcirco §. IX. ne Pax ineatur, antequam OO. GG. de *obice*, ſive *Barriere*, ſecuri praeſtentur.

2. Repetitum hinc vel arctius conſtrictum eſt eodem a. 1701. d. 11. Nov. (n. 850.) inter Anglos et Belgas *Fedus mutuae Defenſionis* a. 1678. et §. VI. ſuperadditum eſt, non pasſuros WILHELMVM III. Reg. Angl. nec Belgas, ut Ditiones Hiſpanico-Belgicae ſint in poteſtate Regis Gall.; poſt eas vero recuperatas pro caſu Federis et auxilii praeſtandi habendum fore, quotieſcumque Rex Gall. vel recta via vel obliqua has invadat vel aggredi tentet.

His Conſociationibus plerique Europae Principes, vel per pactorum confirmationem, vel per nova Defenſionis Federa, vel per Pacta ſubſidiaria accesſerunt. In his eminent.

Rex Daniae a. 1701. d. 20. Ian. (n. 841.).

Dux Brunſvico-Luneburg. a. 1701. d. 28. Apr. (n. 842.).

Rex

---

tate, in primis ab parte Belgarum; in quibus maxime Scripp. Galli in contraria omnia abire ſolent, in his MABLY, *Droit Publ. de l'Europe*, in viam ſaepe reductus ab eius Edit. ROVSSET.

Rex Boruſſiae, a. $17\frac{01.}{2.}$ d. $\frac{30.\ Dec.}{9.\ Ian.}$ (n. 851.).

Circulus Inferior Rhenano-Westphal. a. 1702. d. 29. Sept. (n. 861.), etc.

Bellicae Declarationes.

§. LXXXI. His addantur Bellicae Declarationes Principum a. 1702. d. 4. 8. et 15. Maii, d. 3. Iul. d. 28. Sept. d. 6. Oct. (n. 853. 856. 858. 860.) in primis hic lectu dignae OO. Belg. Fed. adverſus Regem Gall. querimoniae et Declaratio Belli (*Manifest van Oorlog*) (n. 854.). Atque haec a parte Belgarum cauſſa fuit et origo luctuoſiſſimi illius ac ſumtuoſiſſimi Belgis (iuxta atque Anglis et Gallis) *Belli Socialis*, quod intermortuo Rege WILHELMO III. per 11 annos vario marte geſtum eſt; in quo gerendo hoc unum Belgis culpae dederis, quod rebus proſpere fluentibus Conditiones Pacis *Geertruidenbergenſes* ab Gallo ad incitas redacto a. 1709. ſq. (n. 880. 881.) oblatas acceptare detrectaverint (4). Sic enim validiſſimas urbes aliaque Territorio ſuo defendendo apta, et plura Commerciorum commoda obtinuiſſent. Sed mutata varios per caſus belli alea, ſerio agi de Pace coeptum eſt.

Bellum Sociale.

Pacis Conamina et res tractandae.

§. LXXXII. Maxima agendi cura erat

1. De transferendo Belgio Hiſpanico in Electorem Bavarum.

2. De conſervanda Regni Britannici ſucceſſione in Domo et ſtirpe Hanoverana.

3. De

(4) Quantis in anguſtiis Rex Gall. verſaretur, docent ſecreta eius Conſilia, quibus ipſe interfuit le Marquis DE TORCY, T. I. p. 233. et LA FARGUE, p. 111.

Digitized by Google

3. De obtinendo Belgis Propugnaculo adverſus Gallos.

Prius praeſtitum eſt a. 1712. d. 2. Ian. (n. 896.) ex Pacto, quo PHILIPPVS Rex Hiſp., probante Rege Galliae, avo ſuo, in MAXIMILIANVM EMANVELEM, Electorem Bavariae, cognatum, ſeparatim transfert omne ius in Ditiones Belgico-Hiſpanas, interpoſita ſtipulatione §. VIII. ut quos Rex CAROLVS II. annuos Reditus *f* 100000. ſuper Vectigali Moſano (*ad Navaigne*) asſignarat, eos Elector heredibus Principis Arauſion. ſolveret. De duobus Capitibus poſterioribus collata ſunt d. 10. Dec. conſilia inter Legatos Anglos et Belgas, quorum proſtat Conſpectus (n. 904.).

§. LXXXIII. Et ſic tandem, post *praevias* Pacis Conditiones de *Propugnaculo* pro Republ. ab Gallis obtinendo (5) ſecuta est *Pax Traiectina*, ſeu potius inita ſunt a. 1713. plura Federa; et primo quidem a. 1713. d. $\frac{19}{30}$. Ian. (n. 907.) Pactum praevium inter ANNAM Reginam M. Brit. et OO. Belg. *de mutua* quam vocant *Guarantia Succesſionis in Regnum M. Britanniae, et Iuris Praeſidii ſive obicis* (vulgo *Barrière*) *Ordinibus debiti et adverſus Galliam perquam necesſarii.* Praeviae Conditiones.

§. LXXXIV. *Pax* ipſa *Traiectenſis* inter *Gallos et Belgas*, a. 1713. d. 11. Apr. (n. 910.) qua in primis duo haec maioris momenti Capita ſanciuntur: Pax Traiect. cum Gallis a. 1713.

1. Vt

(5) *Europ. Mercur.* a. 1712. P. I. p. 125. 231. 245. P. II. p. 4. a. 1713. P. II. p. 173. ſqq.

Digitized by Google

1. Vt Regna Galliae et Hiſpaniae ſemper ſeparentur, neque ab uno unquam Principe regantur.

2. Vt Rex Galliae *Belgium Hiſpanicum*, prouti poſſederat CAROLVS II. tradat in manus ac poteſtatem Belgarum Fedd., eo fine, ut illud ab Belgis conferatur in Principem ſtirpis Auſtriacae, *ut primum inter illos convenisſet de Propugnaculo ſive Barriere*, deque praeſtanda *Limitum* ſecuritate (6).

Pax Radſtadenſis a. 1714.

§. LXXXV. Imperator, minus aeque haec quidem ferens, bellum cum Gallis continuabat, ſed tandem *Pacem* cum Rege Gall. conſociavit *Radſtadenſem*, a. 1714. d. 6. Mart. (n. 927.), idque iisdem, quibus Pax Traiect. coaluit, conditionibus, ut Belgae Fedd. non ante *Belgium Hiſpanicum* traderent in ius et ditionem Domus Auſtriacae, quam de Repagulo *ſ. Barriere*, et *limitum ſecuritate* convenisſent, §. XIX, XX, XXI. (7). Eademque confirmata ſunt *Pace Badenſi*, §. XIX. ſqq. inter Imperii Germ. Principes ac Regem Gall. a. 1714. d. 7. Sept. (n. 931.).

Pax Badenſis a. 1714.

Fedus Propugn. (de Barriere) a. 1715.

§. LXXXVI. Tractae quidem de his ſunt *Antverpiae* Negotiationes (8), ſed quum inſtarent Belgae,

---

(6) Verba ſunt: *Ausſi-tôt que les Seigneurs Etats en ſeront convenus avec Elle, de maniere, dont les Pays-Bas Eſpagnols leur ſerviront de Barrière & de Sureté.*

(7) *Ausſi-tôt quils en ſeront convenus avec ſa Maj. Imp.* Cf. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XVIII. p. 40. ſqq. et pasſim.

(8) LAMBERTY, *Memoires*, T. VIII. p. 721. ſqq. T. IX. p. 10, 11.

Digitized by Google

gae, rem urgerent Angli, qua Fideiusſores; tandem a. 1715. d. 15. Nov. (n. 934.) initum est inter Imper. CAROLVM VI. et *Belgas Fedd.*, coniunctis *Britannis*, famoſiſſimum illud nostra aetate Fedus *de Iure Praeſidii* vel *Repaguli*, per excell. *le Traité de Barriere* (9).

Cuius §. I. promittunt OO. Fedd., ſtatim post Imperatoris Ratihabitionem, immittere CAROLVM VI. in poſſeſſionem omnium Provv. ditionis Hiſpan., quas titulo adminiſtrationis hactenus habuerant, ea interiecta ſtipulatione, ut hae *coniunctim* et *indiviſim* ab hereditate Auſtriaca poſſideantur (10).

§. II. Spondet Imp. nullam Provinciam, Vrbem vel Territorii partem, alienare vel permutare vel transferre in Regem Gall. vel alios quoscunque, qui non ſint Succesſores Domus Auſtriacae (11).

§. III—V.

(9) De re ipſa ex German. STRVVII, *Corp. Hiſtor. Germ.* p. 1501. Ex Belgis Auſtriacis NENY, *Memoires*, P. I. p. 142. Ex nostratibus Belgis *Europ. Mercur.* a. 1716. P. I. p. 25. 180. 213. P. II. p. 220. et *l'Etonnement de l'Europe*, p. 107.

(10) Verba ſunt: *un ſeul et indiviſible*, INALIENABLE, *et incommutable Domaine, qui ſera* INSEPARABLE *des Etats de la Maiſon d'Autriche.*

(11) De hac Conditione legatur Reſponſio defuncti Regis Boruſſ. ad Imper. IOSEPHVM, *dans ſon Examen des Motifs de ſa Maj. Pruſſienne*, in cauſſa Bavarica. Et hinc explicanda quae *ſupra* §. LXVII. de irrito conatu Imper. permutandi *Ducatum Limburgenſem*, qui paullo

§. III—V. Conſtituuntur oppida et loca, in quibus OO. GG. ſua habebunt Praeſidia Militaria vel ſoli vel coniunctim; numerus, tempus, modus, et ſuſtentatio.

§. VI—XV. Statuitur de Belgarum praefectis militaribus, de muniendis et inſtaurandis oppidis, militum iureiurando, cultu religioſo, apparatu bellico, transitu, et defenſione, etc.

§. XVI, XVII. Bello ſuborto permittit Imp. inde a Moſa ad Scaldim agros ſubmergere, et ad maiorem ſecuritatem ceduntur ab Imp. et accuratius definiuntur in *Flandria* loca et limites, data inſuper OO. facultate territoria limitanea muniendi, et aquis, ſi res postulat, ſubmergendi. Quae vero de *Canali Brugenſi* exſtabat Controverſia, arbitris commendatur decidenda.

§. XVIII. Imperator transfert in Belgas omne ius ſuum (12) in *Gelriam Superiorem*, in territorium et Vrbem *Venloam*, Munitiones *S. Michaëlis*, *S. Stephani*, Dynastiam *Montfoort* cum omni Iurisdictione, Pagis et Feudis, exceptis Pagis *Swalmt* et *Elmt.*, et ſalvo iure Regis Boruſſiae atque Episcopi *Ruremondani*. Ea addita Lege, ut Vectigalia ad Moſam, Roermonde, et Navagne maneant Imperatoris; ad Venloam ea ſint Ordinum GG. Atque ex his uterque pro rata portione ſolvent Principi Arauſio-

post arctius cum *Brabantia* coniunctus est, DU MONT, *Corps Dipl. Supplem.* T. III. P. II. p. 147.

(12) *De volle ende volkomen Souvereiniteit ende Eigendom.*

ſtonenſi annuos Reditus *f* 100,000. ex Pacto Regis Hiſp. cum WILHELMO III. a. 1687. d. 26. Dec. ad haec Vectigalia asſignatos.

§. XIX. Ad alendas Copias, et ſuſtentanda Praeſidii onera et Munitiones Imperator quotannis perſolvet *f* 500,000. Imperiales; id eſt flor. Holland. *f* 1,200,000., asſignatos ſuper reditibus, nominatim *Brabantiae* et *Flandriae* (13).

§. XX, XXI. Rata habentur quaecumque durante bello geſta erant in Belgio Hiſp., quamdiu Britanni et Belgae has Provincias adminiſtrabant.

§. XXII—XXV. Quas pecuniae ſummas Belgae CAROLO II., dum vixit, repraeſentaverant, quae, ex adiecta Tabellâ, ad *f* 8,396,000 creverant, eas cum uſuris ſolvet Imperator. Nec non expenſas, quas inde ab a. 1707. pro conſervando Belgio et alendis copiis Auſtriacis, Britanni et Belgae, tempore Adminiſtrationis, expenderant, usque ad *f* 5,768,000 flor. Holl.

§. XXVI. Vectigalia et Mercaturae rationes, donec novo Commercii Federe aliter ſtatuatur, eodem quo ſunt manebunt loco. In reliquis valebit Pax Monaſterienſis.

§. XXVII. Cavetur de disiiciendis Munitionibus Caſtri Leodienſis, et Huienſis, impenſis OO. Belg. et Leod., neque antea Praeſidia OO. inde diſcedent.

§. XXVIII, XXIX. Rex M. Britann. ſuam interpo-

---

(13) Quorum loca *Separato Articulo*, eodem die, accuratius ſunt expresſa.

Digitized by Google

ponit *Guarantiam*; et tempus Ratihabitionis 6 hebdom. ſtatuitur.

Federis effectus.

§. LXXXVII. Literis Ratihabitionis ſq. M. Ianuar. Bruxellis ultro citroque exhibitis, et ſollemni eas Regiones tradendi modo determinato, facta est a. 1716. d. 4. Febr. publica per OO. GG. translatio (14), ſed plena demum posſesſio a. 1719. contigit. Motis vero per OO. Brab. et Flandr. ſuper *Limitum* ex §. XVII. deſignatione, nec non de Subſidiis ſibi impoſitis, difficultatibus, nova etiam Conventione a. 1718. d. 22. Dec. (n. 960.) de hoc §. transactum est, quo *Flandriae* Limites nonnihil ſunt coarctati, prouti haec ad oculum apparent ex Mappa Geographica (*Charte Figurative*) hoc fine publica utrimque auctoritate ſignata, et cum *Sigillis* ac *Subſcriptionibus* in aes inciſis publice edita. Pecuniae etiam ex §. XXII, XXIII. debitae nonnihil imminuuntur; ſalvis tamen reliquis conditionibus. Etiam haec comprobavit Rex M. Brit. (15).

Confirmatio et Guarantia ex Federe Hanover. a. 1725.

§. LXXXVIII. Exortis paullo post de *Navigatio-*

---

(14) NENY, *Memoires*, P. I. p. 152. *Europ. Mercur.* a. 1716. P. I. p. 180. ſq.

(15) Plura *Europ. Mercur.* a. 1718. P. I. p. 253. a. 1719. P. II. p. 45, 87. ſqq. LAMBERTY, *Memoires*, T. X. p. 199. et *Suppl.* p. 62. T. XI. p. 31. ſqq. Add. Decreta Executoria *Placaat-Boek van Vlaanderen*, T. IV. P. III. p. 1875, 1886. *Placaat-Boek van Brabant*, T. VII. p. 513. et *de ſollemni Imper. Inauguratione. Placaat-Boek van Brabant*, T. V. p. 143.

Digitized by Google

tione Indiae Orient. ex portu *Oſtendano*, controverſiis inter Imper., et multos Europae Principes, nominatim *Anglos*, *Gallos*, *Borusſos*, nec non *Belgas Fedd.*, inter tres priores, ob commune Commercii periculum, initum est a. 1725. d. 3. Sept. (n. 479.) *Fedus Hanoveranum*, cui quum Belgae Fedd. a. 1726. d. 9. Aug. (n. 981.) accesſisſent, Socii Hanoverani in favorem Belgarum, *Separato Articulo*, fideiusſerunt (*Guarandeurs*) pro hoc Praeſidii Iure, (*Barriere*), proque ſolvendis Subſidiis et uſuris, ex Pacto debitis.

Confirmatio ex Federe Vindobon. a. 1731.

§. LXXXIX. Denique post multas de *Oſtendana* Navigatione Controverſias, (quas CAP. VI. exponam) a. 1731. d. 16. Mart. inter Imper. et Regem M. Britann. coaluit *Fedus Vindobon.* (n. 999.) in quo et Belgae occurrunt, tamquam partes contrahentes, et praeter reliquas Conventiones de *Sanctione Pragmatica* et de *Commercio Indico*, etiam §. V. priores *de Iure Praeſidii* et de *Limitibus* ſervandis ſtipulationes et Federa denuo confirmantur. Sed Belgae, quum nondum contraxisſent ipſi, rogatu Imperatoris (16), huic Federi accesſerunt a. 1732. d. 20. Febr. (n. 1003.).

Nova de Belgio Auſtriac. cura a. 1733.

§. XC. Sequente vero anno ex electione Regis Polon. orto inter Gallos et Imper. bello Rex Gall. Ordinibus fidem dedit de non *invadendo* nec turbando *Belgio Auſtriaco*, dummodo ne OO. GG. rebus Polonis ſe immiscerent; unde Pactum natum est a. 1733. d. 24. Nov. (n. 1011.), quod vocatur,

(16) *Europ. Mercur.* a. 1731. P. I. p. 203.

tur, *Acte de Neutralité pour les Pais-Bas Autrichiens*, renovatum a. 1735. (n. 1012.).

Controverſiae inde ſubortae.

§. XCI. Res tamen haec *Praeſi iaria* occaſionem ſaepe deinceps dedit controverſiis, ex pecuniis non ſolutis, vel aliis ex cauſſis. Cuiusmodi etſi plures a. 1737. ſqq. fuerunt (17) manſit tamen idem rerum ſtatus usque ad obitum Imper. CAROLI VI. a. 1740. cuius post mortem perquam ingens in Regno Germanico et magna Europae parte rerum perturbatio (18). Tuendae nimirum erant Provinciae Auſtriacae contra Gallorum potentiam et viciniae metum; ſervanda erat *Sanctio Pragmatica*, de qua infra; ex Federe Vindobon. a. 1731. mittendae Belgis erant Copiae auxiliares. De his in ipſa Republ. multa Conſilia et Deliberationes. Bellum tum ortum inter Regem Gall. et MARIAM THERESIAM, CAROLI VI. filiam et heredem. Occupat Rex Gall. Regiones Belgo-Auſtriacas; disiiciuntur omnia Federati Belgii propugnacula, capiuntur Belgarum cohortes in praeſidiis poſitae. Dum ab Auſtriacis interim negatur Belgis annua pecuniae ſolutio.

Belgarum pro Regina Hungar. ſtudia.

Bellum inde cum Gallis a. 1747.

§. XCII. Sed id, quod omnium maxime cavere conabantur OO., invaſit Rex Gall. ſimul a. 1747. in-

(17) Recenſet eas NENY, *Memoires*, P. I. p. 167. et teſtantur Regiſtra OO. GG.; imprimis ſic dicta *Project-Conventie in de Secrete Reſolutie van H. H. Mog. van* 23. *Aug.* 1753. Cf. *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1785. p. 153.

(18) STRUVII, *Corp. Hiſtor. Germ.* p. 1548. ſqq.

Digitized by Google

infeſtis armis Rempublicam Belgicam, eodem die, quo id ſe facturum minabatur Legatus eius Hagae Com. (19).

§. XCIII. Inita ſequente anno 1748. d. 18. Oct. (n. 1072.) Pace Aquisgran. Gallos inter et Belgas, accedente Regina Hungariae, §. III. confirmantur denuo Fedus Monaster. et alia; reſtituuntur §. VI. cum Reginae tum Belgis Fedd. ablata ſingulis loca, addita Lege, ut illa oppida, in quibus Ordd. GG. *Ius* haberent *Praeſidii*, traderentur Ordinum Copiis (20). Admiſit ſtatim Regina Cohortes praeſidiarias; ſed quum pro illarum ſuſtentatione promiſſa olim pecuniae ſolutio vel differretur, vel negaretur, ab illo inde tempore diuturnae fuerunt controverſiae et agitata conſilia (21), donec a. 1781. mira in his et inſignis, ratione Praeſidii, in Belgio facta est converſio. Pax Aquisgr. a. 1748. Agnitum Ius Praeſidii.

§. XCIV. Imperator enim IOSEPHVS, MARIAE THERESIAE heres, flagrantibus Belgarum disſidiis et exorto inde cum Anglis bello, nodum disſecuit, factaque praevia ad OO. GG. admonitione, Copias Belgio ſuo excedere iusſit (22). Neque Reiectum ab Imper. Ioſepho II.

---

(19) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1747. p. 242. ſqq. 283, 733. ſqq.

(20) NENY, *Memoires*, T. I. p. 185.

(21) Quae ex ſua opinione, ſpeciali Capite, enarrat NENY, *Memoires*, T. II. p. 48. ſqq. Add. Acta Viennae a. 1749. in *Mercur. Hiſtor. & Polit.* a. 1749. P. II. p. 599. et a. 1750. P. II. p. 352.

(22) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1781. p. 2104. ſqq.

que hic ſubſtitit. Sed a. 1783. M. Nov. manu militari *Limites Flandriae*, in controverſiam ante vocatos, nominatim *Pagum Doel* ad Scaldim, Munimenta *S. Donatiani*, *S. Pauli* et *S. Iobi* prope urbem *Sluſas* occupat; munitiones disiicit, veterem *Lilloam*, praeter omnem controverſiam iuris Belgici Pagum, et qua talem in *Mappa Geographica*, ipſius Imperatoris auſpiciis edita, agnitum, occupat.

Qui et alia molitur.

Graviora petit.

§. XCV. Exhibitis fruſtra de his querelis, dum de componendis his controverſiis in urbe Bruxell. per ſic dictos *Commisſarios* amice agebatur, ecce tibi graviora Imperatoris postulata per *ſummaria capita* (*Tableau Sommaire*) propoſita a. 1784. d. 4. Maii (n. 1232.) quae, praeter alia multa, et in his Moſa-Traiectum, de quibus dictum ſupra, §. LIX. ſpectabant in primis ad quandam portionem *Scaldis* ſecundum Arcem *Lilloam*; Debita nonnulla pecuniaria; Vectigalia; et navem *Praeſidiariam* (*het Wagtſchip*) ab ſtatione *Lilloana* amovendam.

Ordd. Reſponſa, et Nova Imper. Postulata.

§. XCVI. Reſponderunt OO. et quae ipſis debebantur, oppoſuerunt d. 13. Iul. Ad haec Imp. d. 23. Aug. (n. 1235.), velle ſe penitus renunciare postulatis antedictis, ſi OO. GG. concedant plenisſimam *Ostii Scaldis* Aperturam, ac liberam in mare Navigationem; ut Flandriae limites ex Federe a. 1664. in posterum regantur; ut ſibi tradantur Munimenta *Lillo*, *Liefkenshoek*, *Frederik Henrik* et *Kruisſchans*, iure proprio habenda, nec non liberam in *Indiam utramque* Navigationem; et plenam de Vectigalibus diſpoſitionem. His legibus renunciare ſe velle, etiam iuri in *Moſa-Traiectum* et alia territoria. Additur Declaratio, ſe, deliberante

Re-

Republ. ab hoc ipſo die, Scaldis oſtia pro apertis habere (23), adiecto inſuper, ſi Respublica his contranitatur, ſe tamquam hoſtilia ea conſideraturum. Ad haec OO. GG. d. 30. Aug. (n. 1235.) quantum ad *Scaldim*, mascúle reſponderunt, non pasſuros ſeſe, ut aperiatur fluv. *Scaldis* contra diſertam Pacis Monast. ſtipulationem §. XIV. (24). Liberum vero *Indiarum* commercium fore contra Federis Vindobon. a. 1731. §. V. fidem, Anglis et Belgis datam. Interim Imperatore in dies graviora petente et minánte, Legatis utrimque M. Nov. domum revocatis, quum res ad bellum ſpectare videretur, retenta ab OO. prohibitaque navi per Scaldim delapſâ, agrisque Belgo-Flandricis prae armorum metu ſubmerſis, OO. Fedd. omnem rem gestam ac iuris ſui defenſionem exponunt, cum Principibus vicinis communicant (n. 1237.) et oblatam ab Rege Galliae intercesſionem amplectuntur (25).

Ac minae.

Oblata Regis Gall. Mediatio.

§. XCVII. Exitus fuit, ut, post misſos extra Ordinem, quos tamquam praeviam conditionem petie-

Exitus.

(23) Res manifesta ex *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1785. p. 157—172.

(24) Ea enim ostia ex *Pac. Mon.* erant clauſa ab parte Belgarum, et manſerant in hunc usque diem. Navis etiam *Lilloana* illic ſtationem habuerat per 136 annos. Privatorum de hoc iure Scripta cum in Belgio tum in German. edita, hîc mitto. Rem ex ipſis *Actis authenticis* enarro.

(25) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1784. p. 979. a. 1785. p. 579—602, 735.

Digitized by Google

tierat Imperator, duos Legatos, rem omnem moderante et urgente Rege Galliae, fruſtraque imploratis, quae multi ſperaverant, ipſius ſubſidiis, a. 1785. d. 20. Sept. praeviae Conditiones Pariſiis ſignarentur (n. 1243.), et ſic tandem ex IV. *Provv. Decreto* a. 1785. d. 8. Nov. (n. 1246.) inita est cum Imperatore Transactio, improbantibus Conditiones OO. *Gelriae*, *Zeelandiae*, *Friſiae*, immo urgentibus, ut inquiratur in eos, quorum iuſſu *praeviae* illae *Conditiones* hoc modo eſſent ſignatae (26). Hac Conventione

Pactum Conventum cum Imper. a. 1785.

§. I, II. Sancitur amicitia, pax perpetua, et tractandorum Baſis *Pax Monast.*, exceptis iis, quibus per hoc Pactum derogaretur.

§. III. Plenisſima utrimque conceditur facultas disponendi de Commercio, Vectigalibus, et Literis Conducticiis, (*Commercie*, *Tollen en Licenten*) (27).

§. IV. Limites Flandriae conſtituuntur ex Federe Limitaneo a. 1664. et utrimque *Delegati* hunc in finem mittentur (28).

§. V. Disiicientur utrimque loca munita intra tormenti iactum partis alterius, nec nova excitabuntur.

§. VI. Vt impediantur aquarum inundationes in territorio Imper. Flandriae et ad Moſam; et Cata-

(26) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1785. p. 1245, 1325, 1541, 1554.

(27) Quid *Pac. Mon.* de his vid. §. XIII.

(28) De Federe Limitan. a. 1715. ſupra dictum.

Cataractae erunt permittendae in Belgarum Territorio.

§. VII. Pars *Scaldis* fluv. inde ab *Antwerpia* usque ad *Saſtingam* pleno iure cedet Imperatori, et deſignatio petetur ex Fed. Limit. a. 1664. Renunciant OO. GG. omni in hâc Scaldis parte Vectigalium exactioni; nec ulla ratione impedient Navigationem et Commercium. Reliqua Scaldis pars clauſa manebit a parte OO. et in ipſorum dominio, ex Pac. Mon.

§. VIII—X. OO. ſuis impenſis disiicient Munitiones *Kruisſchans* et *Fredrik Henrik*; et cedent eas Imperatori; eidemque dabunt iure proprio Munitiones *Lilloam* et *Lieſkenshoek*, integras, non disiectas. Eaque intra 6 hebd. post Ratihabitionem conficienda.

§. XI, XII, XIII. Renunciat Imperator postulatis in Pagos *Bladel* et *Reuſel*; itidem OO. in Pagum et bona Abbatiae *Postellenſis*; deque regundis et permutandis Brabantiae finibus decernentur Commisſarii.

§. XIV—XVII. Postulata de *Moſa-Traiecto*, Comitatu *Vroenhovenſi*, Pagis ſeu Iurisdictione S. Servatii, et Terra Transmoſana, una cum damnis aquarum agris immisſarum, compenſabunt OO. ſumma *f* 10,000,000.

§. XVIII. OO. inſuper cedunt Imperatori multa loca Transmoſana in Territorio *Daalhemenſi*, una cum *Oppido* et *Castello de Daalhem*.

§. XIX. Pro his Imperator nonnulla OO. cedit in Territorio *Valkenburgenſi*, nominatim *Dynastiam Oud-Valkenburg*.

§. XX. Pro eo quod OO. in potestatem Imper.

Digitized by Google

tranſtulerit *Lilloam* ac *Liefkenshoekiam*; Imper. ſua vice renunciat postulatis ſuis in Pagos Redemtionis, exceptis *Falais*, *Argenteau* et *Hermale*; quorum iuri renunciant OO., ſuppreſſo utrimque omni *Redemtionis* onere.

§. xxi. In locis utrimque conceſſis liberum erit Religionis exercitium, ſalva diſcedendi incolis libertate.

§. xxii, xxiii, xxiv. Cedunt praeterea OO. omnia iura in *Pagum Berneau* in agro *Daalhemenſi*; contra Imper. ius ſuum in *Pagum Elslo* in agro *Valkenburg* transſcribit. De finibus ſtatuetur intra menſem.

§. xxv. Quidquid pecuniarum et aeris debiti utrimque peti poſſit, mutuo compenſabitur et exſtinguetur. De Privatorum debitis per Delegatos utrimque inquiretur.

§. xxvi. Agitur de rata portione in ſolvendis uſuris, aſſignatis olim ad Brabantiam.

§. xxvii — xxix. Fit utrimque Renunciatio omnium cuiusvis generis postulatorum, et Rex Galliae, cuius amicae interceſſioni haec debebantur, rogatur, ut pro his Pactis fideiubeat (*Guarantie*).

Adiecta ſunt ſeparata quaedam Capita, n. IX. de Debitis, eorum exſecutione, de Officiariis, de Feudis, aliisque minoris momenti negotiis (n. 1247.).

Ius Praeſidii evanuit.

§. XCVIII. Hoc modo, durante *turbido Reipubl. ſtatu*, transactum est cum Imperatore; multa in eum translata ſunt bona, iura, territoria, et exſtinctum ſimul omne ius collocandi *Praeſidii*, et habendi *Propugnaculi* ſive *Barriere*, pro quo obtinendo et conſervando tot olim bella ſustinuerat Respublica, tot fluxerant ſanguinis rivuli, tot pecuniarum Myria-

riades expenſae fuerant, inde ab Pace Monaster. et de quo a. 1733. d. 26. Iul. (quid non mutati temporis ratio poteſt!) Imperator CAROLVS VI. IOSEPHI II. avus, ingruente tunc ab Gallis belli metu, declaravit, *hoc Reipublicae Belgicae conceſſum Propugnaculum non ſolum inſervire Belgii Auſtriaci ſecuritati, ſed etiam tuendae totius Europae Libertati* (29).

§. XCIX. Hactenus de quatuor Territoriis Reip. acceſſoriis, deque controverſiis cum primo eorum Poſſeſſore, Rege Hiſpan., et eius ſucceſſore, Belgii Auſtriaci Principe, agitatis.

Transeo ad Controverſias cum aliis Principibus, in quibus

Primo loco, cum ipſo *Imperio Rom. Germanico*, et Imperatore, qua tali.

CONTROVERSIAE CVM IMPERIO ROMANO-GERMANICO.

Fueritne Belgium Federatum, prout hodie complectitur Regiones, et harum ſingulae, *Pars Regni Germanici*, et *Feudum Imperii*, olim in controverſiam vocatum, hodie omni dubio exemtum (30). Idem Belgarum populi in *Praefat. Fede-* 7. Belgarum cum Imper. Rom. German. nexus.

(29) ROUSSET, *Negotiations*, T. IX. p. 449.

(30) De his plura dico in Praelectionibus ad *Primas Lineas Collegii Diplomatico-Hiſtorico-Politici*, ubi pono, Reges et Imper. Germ. fuiſſe *Supremum Imperantem* ratione Territorii Belgici, *Dominos* vero *directos* ratione Feudi; eosque qua *S. Imper.* ſemper eſſe agnitos

 cum

deris Traiectini a. 1579. d. 23. Ian. agnoverunt, adiecta Clauſula, qua nullo ſeſe modo *ſubtrahere Imperio S. Rom. Germanico* (31) intelligi volebant. Ex hoc Belgii cum Regno German. nexu, ſi Principes Belgae ſuo deesſent officio, vel iuſtitiam denegarent; ſubditis adverſus Principem iuxta atque Principi adverſus Subditos intercluſus nunquam fuerat ultimus ad Imperium Germanicum eiusve Tribunalia Recurſus (32).

Et effectus.

Per turbas etiam civiles.

§. C. Ex hoc Imperii nexu Belgae, rebus ultima aetate turbatis, contra impotentem Regis PHILIPPI Dominationem opem implorarunt. Sed ex eodem nexu Rex PHILIPPVS auxilium ab Regno German. petiit contra Belgas Subditos, ipſius iura et imperium laedere incuſatos.

Apud Regem Phil.

Exſtant ab parte Regis PHILIPPI multa id genus conamina, literae ad Imperatorem et Imperii Comitia, etc. a. 1567, 1569.

Apud Belgas.

Exſtant ab Parte Belgarum multae querelae, delegationes, libelli ſupplices, per annos 1570, 1572, 1578. (n. 148, 164, 165.).

Apud ipſum Imper.

Exſtant ab parte Imperii ad Regem PHILIPPVM li-

cum a Principibus tum ab ſubditis; qua *Dominos* vero *directos* usque in ſera tempora *Inveſtiturae* Literas dedisſe illorum Principibus, Ducibus, Comitibus, Episcopis, utcumque laxe ſaepe regnantibus.

(31) *Sonder in alle gevalle hen by deſen te willen onttrecken van of uyt den H. Roomſchen Rycke.*

(32) Vti hoc probo ad *Primas Lineas Colleg. Diplomat. Hiſtor. Polit.* §. 421.

literae, interceſſiones, oblata arbitria, miſſi Legati, aliaque pacis et reconciliationis conamina, a. 1569, 1570, 1574, 1575, 1578, 1579. (n. 147, 149, 150, 151, 163, 167, 169.) (33).

Testantur eadem, post initum Fedus Traiect. a. 1579. *conamina Pacis Colonienſis*, coram *Legatis Caeſareis*, de inſtauranda inter Principem et populum concordia; propoſitae ab his, tamquam arbitris, Pacis conditiones (n. 173, 174.) (34).

§. CI. Quum vero a. 1580. de Rege deferendo, ac de novo ſibi creando Principe OO. Fedd. deliberarent; Imperator RVDOLPHVS d. 20. Apr. (n. 178.) Ordines de rei gravitate admonet, dehortatur, ſuamque denuo opem mediatricem offert. Post abdicationem regiam.

Deſerto Rege, a. 1582. M. Iul. (n. 193.) decreta ab OO. Fedd. est Legatio ad *Comitia Augustana*, ut reddant rationes *Regis* PHILIPPI Abdicati, et Electi FRANCISCI ALENZONII, cum expoſitione rerum gestarum, rogataque Imperii Germ. approbatione. Ad eadem Comitia Dux Parmenſis et reliqui OO. ſuos mittunt legatos, contraria rogantes

---

(33) Paſſim haec Hiſtorici, PETRVS BOR, E. VAN METEREN. Nonnihil Vir. Ill. J. J. MOSER, Teutſches Staats-Recht, I. Th. p. 302. ſqq. Add. *Indic. Feder.* n. 166.

34) DV MONT, *Corps Dipl.* T. V. P. I. p. 361. ſqq. P. BOR, *Nederl. Oorlogen*, L. XIII. fol. 143. PFEFFEL, *Abregé Chronol. de l'Hiſtor. & du Droit Publ. de l'Allemagne*, T. I. p. 749. STRVVII, *Corp. Hiſtor. Germ.* p. 1158. et quos plures ille laudat.

Digitized by Google

tes (n. 194.). Propoſita tunc iterum Pacis remedia effectu caruerunt; ſed, qui Regi adhaeſerant Belgae, bello cum Turcis gerendo ſubſidia ſexennalia conceſſerunt; deliberatumque in Comitiis eſt (n. 192.) an OO. Fedd. dimiſſo Archiduce MATTHIA propria auctoritate et ſine Imperii Rom. Germ. praeiudicio novum ſibi Principem conſtituere poſſent.

Quid inde Iuris.

§. CII. Quaeritur hic ab nonnullis, utrum in iſta Principis et Populi contentione, Imperium Germ. Regi Hiſp. an vero eius ſubditis ſuccurrere debuerit? Facilis, ſi ad ius ſpectas, eſt Reſponſio! Ei nempe ſuccurrendum, cuius cauſſa potior. Sed hinc alia ſurgit, quae *facti* eſt, quaeſtio. Vtram cauſſam habuerint potiorem Imperator et OO. Germ. an vero mediam hi viam tenuerint, optimumque factu eſſe duxerint, viam tentare concordiae, vel per arbitria ex aequo et iuſto, vel per legitimos, id ſi fieri poſſet, iudices componere?

Acta deinceps.

§. CIII. Sed quidquid hoc eſt; Imperator poſtea, flagrante inter Regem et VII. Fedd. Provv. bello, neutras ſecutus eſt partes, et arbiter quam iudex eſſe maluit. Hinc multa repetenda et illuſtranda de militibus cum Hiſpanis tum Belgis ab Germ. Territorio a. 1582. et 1590. repulſis; de literis RVDOLPHI Imper. Pacis adhortatoriis ad Gandavenſes; de iisdem Imperatoris, qua Pacis conciliatoris, literis ad OO. Fedd., eorumque ad Imp. reſponſis, a. 1591. d. 22. Nov. et a. 1592. d. 7. Apr. a. 1595, 1596.; de miſſis ex Comitiis Ratisbon. a. 1594. ſenis Legatis Pacis conciliandae gratia ad Belgas et ad Hiſpanos; de recuſatis a. 1599. tandem admiſſis a. 1600. Legatis, de Pace, fruſtra tamen, agentibus (n. 210,

(n. 210, 211, 227.). Tandem a. 1603. ſq. (n. 232.) ab Imper. propoſitum, ut miſſo omni cum Rege reconciliationis conatu Belgae Feder. ſe clientelae Imper. Germ. traderent. Quod ſe facturos negant, niſi idem facerent reliquae *decem* Regiones, eaedemque ab ſuis repellerent finibus Regem Hiſp. Iniecto deinde ſermone *de Induciis* et de *plena libertate* interim agnoscenda, id aegre ferens Imperator, ſcripſit a. 1607. d. 9. Oct. (n. 241.) ad OO. Fedd.; ſed Reſponſo non ſat proficuo beatus est a. 1608. d. 2. Ian. Ab hoc tempore maxime in contrarium eniſi ſunt Belgae, ita ut finitis *Induciis*, a. 1623. Legatus non admiſſus, et Literae Imperatoris clauſae, ut erant, reſtitutae ſint, ex eo quod inſcriptio ferret: *Deputatos Provinciarum*, *nostros ſacrique Imperii Rom.* FIDELES *Amicos* (35). Etiam post Inducias.

Mutata pauliſper est Scena, certe *Imperatoris* ratione, quando a. 1635. d. 8. Febr. OO. Fedd. cum Rege Gall. arctius ſe iungerent adverſus Regem Hiſp. et FERDINANDVM Imper. ut hostem omni Belgio eiicerent, et Provv. Hiſp. inter ſe dividerent.

§. CIV. Postremo quum in *Pace Monast.* a. 1648. facta eſſet ab Hiſpanis omnis iuris in Belgium Fedd. ceſſio, vidente, tacente et patiente Imperatore et Imperio, praeſentibus etiam Imperii Rom. Germ. Legatis, Rex Hiſp. §. LIII. promiſit Belgis, procu- Et in Pace Monaster.

(35) AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. I. p. 536. ſqq. ALEX. VAN DER CAPPELLE, *Gedenkſchriften*, T. I. p. 211.

Digitized by Google

curare bonam Regni Germ. viciniam, amicitiam, et iſtius Federis de *Libertate* agnita confirmationem: Secutaque eſt eodem anno d. 6. Iul. (n. 421.) Imperatoris Ratihabitio huius §. LIII.; ea cum Ordinibus Imper. Rom. Germ. d. 6. Iul. eſt communicata; Belgae Fedd. diſerte comprehenſi ſunt *Inſtrumento Pacis Osnabrug.* d. 27. Iul. et ipſum Ratihabitionis Decretum, a. 1654. in *Comitiis* Imp. *Ratisbonenſibus* factum eſt (n. 459.), quamquam exſecutio ob alias rationes non ſecuta eſt. Legatus etiam Caeſareus a. 1664. auxilia adverſus Turcas implorans pleno ore OO. Belg. Maiestatem agnovit, et tandem a. 1710. conceſſus ab Imperio Germ. Belgis eſt titulus: *celſi et potentes domini* (de quo CAP. X.).

Quae omnia profecto aliquid amplius continere videntur quam tacitam iuris derelictionem, factis et non factis probatam!

Minoris momenti quaeſtiones.

§. CV. Si ad alia cauſas cum *Imperio Germ.* controverſas ſpectes, post Pacem Monaſt. parum cum eo Belgis negotii interceſſit, niſi quatenus de univerſae Reip. conſervatione et ipſius German. ſalute agebatur. Qui caſus fere exſtitit, quando in *Comitiis Bilefeldicis* a. 1671. hoc de negotio ſerio contra Gallos cogitatum et cum circulo Weſtphalico Fedus a. 1671. d. 7. Apr. (n. 628.) *defenſivum* initum eſt; de quo ceteriſque eo ſpectantibus dicam CAP. III.

Praeter haec memorari merentur ſpeciales quaedam Controverſiae

Pagi redemti.

1. De XI. *Pagis Redemtionis* (36).

2. De

(36) Narrat AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. X. p. 496. ſq.

2. De Territorio et Munitione *Schenkenſchans*, olim dicto *'s Gravenweert*. Nomen habet ab MARTINO SCHENK, Praefecto Militari Belg., vocabaturque PVFENDORFIO (37) *inaeſtimabilis pro Hollandia pretii Castellum*. Schenkenſchans.

Inſignis de eo Controverſia a. 1590. Petebat Legatus Imp., ut OO. Fedd. loca armis obſesſa, in iisque hoc Munimentum, reſtituerent, neque amplius per copias militares turbarent. OO. GG. hanc Munitionem Gelrici territorii esſe contendebant. Revixit controverſia a. 1600. Castellum ipſum a. 1635. ab Hisp. occupatum, a. 1636. d. 29. Apr. (n. 353.) est recuperatum. Galli a. 1672. expugnatum Electori Brandeb. una cum oppido *Veſalia* tradunt, indignantibus Belgis (38). Reſtituit Elector tamquam Dux Cliv. ex Feder. cum Belgis a. 1678. d. $\frac{26. \text{ Febr.}}{8. \text{ Mart.}}$ §°. ſeparato (n. 703.). Secuta demum est traditio a. 1681. d. 10. Aug. post conſtitutos Gelriae et Cliviae limites (39).

§. CVI. De *Borkeloa*, inſigni Gelriae Dynastia, triplicis generis Controverſia, cum Imper. Germ., cum Episcop. Monast., et cum ipſo Dynasta. Borkeloa.

1. Imperator hanc Dynastiam ſui esſe territorii olim contendebat (40). Sed postquam Episcopus Mo-

(37) *Rer. Brandenburg.* L. XIV. p. 860.
(38) Idem *Rer. Brandenburg.* L. XII. §. 32. p. 718.
(39) Idem *Rer. Brandenburg.* L. XII. p. 1023. ſq.
(40) LUNIG, Grundfeſte, P. II. p. 772.

Digitized by Google

Monaſterienſis, cuius in confiniis iacet, a. 1666. iuri ſuo renunciavit, nulla de eo amplius quaeſtio, et quiete poſſidet Gelria.

2. Epiſcopus Monaſt., mortuo Dynaſta IODOCO BRONKHORSTIO, ſuae gentis ultimo (41) a. 1553. hanc Dynaſtiam vi Dominii directi apertam volebat; ſuam vero eſſe aſſerebant Gelri. Lata ſententia iudiciali agnitum ipſorum ius eſt; idque armata manu OO. GG. a. 1616. vindicarunt, ac Comitem Limburgii in Styrum in poſſeſſionem immiſerunt. Eam a. 1665. repetiit Epiſcopus Monaſt. qui Belgicas Provincias invadit, et plures Transiſalaniae, una cum *Borkulo*, urbes occupat. Sed interventu potiſſimum FREDERICI WILHELMI Brandeburg. cuncta, ſimul cum *Borkeloa*, ex Feder. a. 1666. d. $\frac{8}{18}$. Apr. (n. 583.) reſtituta ſunt, ſalvo §. XI. iure Imperii German., de quo ſupra; eaque confirmata *Pace Colon.* a. 1674. d. 11. Maii (n. 675.).

Alia hoc ſeculo de Limitibus regendis Controverſia, quae tandem a. 1744. d. 4. Apr. compoſita, et limites poſiti a. 1748. (n. 1071.); neque tamen omnes inter Epiſcopum et Gelros conſopitae Controverſiae niſi ex Pacto Convento a. 1766. d. 22. Oct. (n. 1147.).

3. Ea, quae privatos ſemper agnovit Dynaſtas, hodie libera eſt Dynaſtia Principis Arauſionenſis WILHELMI V., emta ab Principe Polono ADA-

MO

(41) De priſtino hoc Familiae iure conf. IMHOF, *Genealog. Princ. Germ.* P. II. p. 125.

Digitized by Google

MO CZARTORYSKI cum Dynaſtia *Lichtenvoorde*, flor. *f* 600,000. Inaugurationis ſollemnia a. 1777. d. 20. Ian. (n. 1165.).

§. CVII. *Amelandia* inſula eſt ad ſinum Maris Auſtrini iuxta Friſiam; et de hac olim cum Imperio German. Controverſia. Amelandia.

Omiſſa narratiuncula de *Camminga*, Nobili Friſiorum Familia, inde ab ſeculo IX. Inſulae poſſeſſore; ALBERTVS Bavar. Comes Holl., ſubiectâ ſibi Friſia a. 1398. hanc Inſulam tamquam *liberam Dynaſtiam* aliis bene de ſe meritis tradidit. Quod tamen non impediit, quo minus Imperium R. Germ. tamquam *Dominus directus*, ſua identidem iura vindicare conaretur, a. 1494. d. 5. Nov. a. 1498. d. 20. Iul. (42); etiam a. 1636. d. 7. Iul. (n. 355.) obſtantibus tamen Ordinibus cum Hollandiae, tum Friſiae, qui et cauſſam familiae Cammingae ſuam faciebant (43). Emit deinceps hanc Dynaſtiam cum omni iure ſupremo ab Familia Cammingenſi AMELIA Anhaltina, proavia Princip. WILHELMI V., mator IOHANNIS WILHELMI FRISONIS, (n. 872.). Hodie Principis Arauſionenſis.

Hinc hodie WILHELMVS V. ſe ſcribit: *Onaſhank-*

(42) Cf. IDSINGA, *Staatsr.* T. II. p. 24, 450, 460. Baro THOE SCHWARTZENBERG, *Charterboek van Frieſland*, paſſim, et in Indice V. *Ameland.*

(43) Argumenta ſeu Expoſitiones Iuris, cum *Imperii* tum *Dynaſtae*, pluribus recenſet VLR. HVBER. *Opp. Minor.* a. 1746. in App. ſub titulo: *Vindiciae Amelandicae.*

Digitized by Google

hanklyk Heer van de vrye en ſouvereine Erfheerlykheid Ameland.

Qua talis olim, et adhuc etiam, libera Republica, in bello CROMWELLANO, Dynaſta hoſtem Anglum rogabat, neutras ſibi ſequi partes liceat; *Stilzate* vocatur (44).

Qua talis, Leges praeſcribit publicas, politicas, alias; easque ampliat, abrogat, de naufragis ſtatuit, aliaque S. Imper. iura exercet.

Distinguendum tamen inter *Dominium* Maris vadoſi et oſtiorum circa *Amelandiam*, et *Ius* in ipſam *Amelandiam*. Prius est Reip. Belg. Ipſa *Amelandia* in OO. GG. Territorio, quamquam non *de Territorio* (45).

Anholt. §. CVIII. Dantur et aliae Controverſiae. *Anholt*, Oppidulum et Dynaſtiam Zutphan. ad fines Monaſter. et Clivenſes, *liberum* Imperii Germ. *Feudum* eſſe, olim contendebat eius Dynaſta, negabant Gelri. Hanc et ſibi vindicare a. 1717. Imperator annixus eſt. Alia a. 1740 (46).

Keſſenich. *Keſſenich*, Pagus eſt inter Moſa-Traiect. et Ruremond. territorii Leodienſis, quem OO. Feder. adverſus Electorem Palatinum vi armata a. 1715. vindicarunt; de eo in Comitiis Ratisbon. actum, et ut Dynaſtae ratio haberetur in tractando *de Iure Prae-*

---

(44) *Verbaal der Ambaſſade van Beverning*, p. 296.

(45) *De Territorio* eſſe, negat ipſa Curia Holl.

(46) SCHRASSERT, *Codice Gelro-Zutphan.* titulo: ANHOLT, p. 40. *Tegenw. Staat van Gelderland*, p. 426.

Digitized by Google

Praeſidii cum Duce Brab. rogatum (n. 933.) (47).

Capituli Tornenſis, in Pago Gelriae Super. *Echt* dicto, *Iurisdictionem* in cauſſa *Appellationis*, tamquam ad Imperium pertinentem, ſalvam eſſe voluit CAROLVS VI. Imper. in *Federe Propugnaculi* a. 1715. §. XVIII. Echt.

Boxtel, Pagus est et Baronatus in *Maioratu Sylvaducenſi*, quem Feudum Imperii eſſe contendebant, et de quo *tributis* onerando exſtabant inter Imperii OO. et Belgas Fedd. a. 1646. d. 18. Iun. controverſiae. Boxtel.

Pagos *Leuth*, *Meerswyk* et *Dysden*, in Agro Transmoſano, territorii Imperii contendebat Imper. negabant OO. GG. Leuth.

De *Munimento S. Petri prope Moſa-Traiectum* ab Belgis excitato dolebant Princeps Leod. et Imperium; a. 1715. res compoſita tandem (48). S. Petri.

De controverſia iuris in Dynastiam *la Rochette*, inter Imper. Germ. cum Episcopo Leod. et OO. GG. in Curia Brabant. pendente, in antecesſum convenerat a. 1669. d. 9. Oct. (n. 621.). Facta deinde ex Pacto a. 1671. d. 18. Aug. (n. 629.) permutatione cum Pago et Castello *Leuth*, ſubſedit Controverſia. La Rochette.

Munimenta Belgarum Castri *Leodienſis*, *Huienſis*, Hui.

---

(47) FABER, *Staatscanzley*, T. XXVI. p. 367. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XVIII. p. 94.

(48) LAMBERTY, *Memoires*, T. IX. p. 46. FABER, *Staatscanzley*, T. XXVI. p. 396. et T. XXVII. p. 349.

ſis, et alia, ex Feder. Limitan. a. 1715. §. XXVII. (n. 934. Cf. 933.) diſiici debuerunt, expenſis OO. et Episcop. Leod.

Eſens. *Eſens*, *Stedesdorp*, *Witmund*, tres ſunt in Friſia Orient. Dynastiae, quas olim tamquam Feudum ſuum ſibi vindicabant OO. Gelr.; obſtitit Imperium Germ. et Princeps Oostfriſiae a. 1683. (49).

Stein. Quae praeterea exſtiterunt controverſiae aliis de locis, *Stein*, *Rynberk*, *Herſtal*, etc. dicere omitto.

CONTROVERSIAE CVM REGIBVS BORVSSIAE.

Rex Boruſſiae. §. CIX. Qui hodie Rex est Boruſſiae, is ex diverſis quas ſustinet perſonis, quâ Dynasta partis Gelriae Superioris, qua Dux Clivenſis, qua Comes Friſiae Orientalis, nostro Territorio vicinus est Princeps: indeque crebra olim controverſiarum materies, quas ad IV. Capita redigo.

I. De *Territoriis*.

II. De *Vectigalibus*.

III. De *Postulatis Pecuniariis*.

IV. De *Bonis* et *Domaniis* Principis Arauſionis WILHELMI III. in Republica Belgica et alibi ſitis.

A. Quaeſtiones Territoriales. §. CX. Quaeſtiones Territoriales ſpectant vel ad *Gelriam Super.*, vel ad *Regiones Clivenſes*, vel ad *Oostfriſiam*. Quae ad *Gelriam Superiorem* eiusque viciniam, repeti illae potisſimum debent ex Federe a. 1713. d. 2. Apr. inter Regem Boruſſ. FREDERICVM WILHELMVM et CAROLVM VI. Imp. (n. 909.).

Man-

(49) WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XV. p. 112.

Manſerat nempe a. 1648. Pac. Mon. maior pars *Gelriae Superioris* ditionis Hispanicae. Orto hoc ſeculo bello Sociali Gallos inter et Imperatorem, cui impliciti et Ordines Belgg. et Rex Boruſſ. Pax illa Traiect. inter CAROLVM VI. Imper. et FREDERICVM WILHELMVM Reg. Boruſſ. intervenit a. 1713. d. 2. Apr.; cuius §. II. Imper. ceſſit Regi Boruſſ. *Oppidum Gelram*, *Territoria de Stralen*, aliaque, in his *Keſſel*, et *Kriekenbeek*. 1. Gelria Superior.

Altero Pacto, d. 11. Apr. (n. 914.) inter Reges Gall. et Boruſſ., Rex Gall. nomine Nepotis ſui Regis Hisp. transfert in Regem Boruſſ. §. VII, VIII. totam illam Gelriae Super. partem, quam Rex Hisp. poſſederat, nominatim loca ſupra memorata. Contra Rex Boruſſ. §. VII, X. Regi Gall. cedit *Principatum Arauſionenſem*, et alia ex ſucceſſione WILHELMI III. Princ. Auriac. in Gallia bona, ſalvo *titulo*. Eodem anno Rex Boruſſ. ex §. I. *Feder. cum Imper.* (n. 909.) promittit copias revocare ex urbe *Venloa*, et Munitione *S. Michaëlis;* pacto vero peculiari cavetur de copiis ex oppido *Rynberk* per Regem Boruſſ. revocandis. Quum autem ex Federe inter Gallos et Belgas, eodem anno, §. VII. Rex Galliae omne Belgium Hisp. transtuliſſet in manus OO. Fedd., ea lege Imperatori tradendum, ut antea cum Belgis de *Obice* ſive *Barriere* conveniret: hinc ex *Federe Limitan.* a. 1715. d. 15. Nov. Imper. CAROLVS VI. inter alia Ordinibus Belgg. pleno iure ceſſit *Oppidum Venlo*, Arces *S. Michaëlis* et *Stevenswaard*, et tantillum agrorum, quantum his ampliandis iuxta Moſam deſideraretur. Adduntur multa de Vectigalibus, nec non plura loca, in his *Dynastia de Montfoort*

foort (de qua ſupra) ſed addita clauſula: *ſalvo in omnibus Iure Regis Boruſſiae.* Ex hac Clauſulâ multiplex Controverſiarum materies. Dolebat Rex Boruſſ. plus datum Belgis quam dare Imperator potuerat. Inde multa edita Gravamina, et Ordd. ad illa Reſponſa (50).

Capita Controverſiae.

§. CXI. Quaerelae ad 7 fere capita redibant,

1. De Munimento *S. Michaëlis* in territorio Regi ex Pace Traiect. conceſſo.

2. De generali traditione Vectigalium, ſine exceptione Vectigalis de *Stevenswaard*, quod ad *Montfoort* ſpectaret.

3. De Oppido *Venlo* cum omni Dominio; haud exceptis Decimis Maioribus, quae iuris eſſent *Kriekenbeekani.*

4. De *Diviſione* Vectigalis ad Moſam, non excepta portione Regis Boruſſ.; deque redituum *f* 80000 ſecuritate heredum familiae Arauſ. praeſtanda.

5. De conceſſa *Venloa*, nulla habita ratione Vectigalis *de Middelaar.*

6. De appellatione *Tornenſi* in Pago *Echt.*

7. De ſervandis *Gelriae Super.* Archivis: quorum maior Regis cura eſſe deberet.

Verum hi fluctus redati novo Federe limitaneo cum Rege Boruſſ. a. 1716. d. 29. Nov. (n. 944.).

Peel et Keſſel.

Sopita est eodem Feder. quaestio de *Finibus Kempelandiae* (vulgo *de Peel*) et de Ambactiâ *Keſſel*, (n. 944.).

§. CXII.

---

(50) De his a. 1715. ſq. LAMBERTY, *Memoires*, T. IX. p. 50—66, 431—438. Add. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XVIII. p. 160.

§. CXII. Aliae controverſiae de Ducatu *Clivenſi* et terris vicinis. Ducatus *Clivenſis*, *Iuliacenſis*, *Montenſis*, Comitatus *Marcanus* et *Ravensberga*, cum Dynastia de *Raveſtein*, olim ſingulis parebant Dominis. Per diverſa matrimonia ſeculo XV. ad unum devenerunt Principem, IOHANNEM WILHELMVM. Obiit hic a. 1609. ſine herede proximo. Ex hoc tempore maior cum Belgis Fedd. nexus. Hanc hereditatem ſibi petebant Elector Saxoniae et quatuor ſorores mortui Electoris, quarum nupſerant — II. Ducatus Clivenſis.

1ª. Duci Borusſiae: unde Stirps Electoris Brandeburgici.

2. Comiti Palatino-Neoburg.

3. Comiti Palatin. Bipont.

4. Marchioni Burgavienſi. Ne Nasſavios, Marcanos, Nevernenſes, memorem.

Ex omni hac Competitorum turba in iure contendebat Elector Saxoniae. Sed posſesſionem arripiebat WOLFGANGVS WILHELMVS, Comes Palat. Dux Neoburg., et ius ſuum proſecutus est adverſus GEORGIVM WILHELMVM, Elect. Brandeburg. idem conantem. (51).

Huic

(51) Vtriusque partis Argumenta et momenta collegit ROUSSET, *Recueil & Actes*, T. VIII. p. 1. ſqq. Cf. de omni hoc negotio *Hiſtoire des Traités*, T. II. p. 484. ſqq. MONTANVS, *'t Leven van* WILLEM III. T. I. p. 151. ſqq. IMHOFF, *Geneal. Ill. Princ. Imper. Rom. Germ.* P. I. p. 80. TESSCHENMACHER, *Annal. Clivenſ.* Edit. DITHMARI. P. BOR, *Nederl. Oorlogen*, L. XXXIII. fol. 92. ſqq.

Huic Controverſiae immixti identidem OO. Fedd. ſed compoſita ea est a. 1614. d. 12. Nov. (n. 279.) per *Fedus Partitionis*; ex quo omnis ſucceſſio in duas diviſa partes. Pro hoc autem Federe, cui *Pacti Xantenſis* nomen, fideiusſerunt OO. Feder. (*Garantie*), Hiſpanis tamen multum contranitentibus. Quum vero OO. Fedd. maxime intereſſet, has regiones frui quiete; hinc illas copiis ex Federe in praeſidio poſitis et pecuniis ſaepe adiuvabant, ſed inde etiam continua de urbibus *praeſidio firmandis* controverſia. Pulluſante deinceps crebra inter Succesſores contentione, nova Pactione a. 1624. d. 11. Maii (n. 307.). Electori Brandeburg. adſignati ſunt Ducatus Cliviae, Comitatus de Marca et de Ravensberg, cum Dynastia Raveſtein; Duci Neoburg. cesſerunt Ducatus Iuliacenſis et Bergenſis; et a. 1647. d. 8. Apr. nova Conventio (n. 411.) OO. vero Belg. durante cum Hisp. bello, ex hac aliisve de cauſis aliquot Vrbes praeſidio obſesſas tenebant; inſuper FREDERICVS HENRICVS, Belgarum Gubernator, Oppida *Rees* et *Emmerik* communiebat; hinc illi Duces novo Federe, ad annos 25 duraturo, vires iunxerunt a. 1629. d. 9. Mart. (n. 328.) coacturi OO. Belg., ut Oppida relinquant et tributa miſſa faciant. Controverſiis inde natis componendis duo Pacta cum OO. Belg. intercesſerunt a. 1629. d. 31. Iul. et a. 1630. d. 26. Aug. (n. 329, 333.) (52).

De

(52) Rem omnem pluribus AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. II. p. 736. ſqq. T. III. p. 115. ſqq. Add. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XI. p. 129. ſqq.

De OO. Fedd. iure praeſidia militum collocandi in urbibus Cliviae multa etiam Conſilia deinceps ſunt agitata, a. 1647. (n. 415.). Interim nec alia deficiebant querimoniae capita. Ordines earum Regionum, quae Duci Neoburg. parebant, ad Belgas confugiunt (53). Ipſi porro Duces de *Raveſteinio* a. 1649. contendunt: OO. Fedd. opem Mediatricem offerunt; Imperator intervenit; et partes conciliantur novo Pacto a. 1651. d. 11. Oct. (n. 443.) Reliquae de ſucceſſione Controverſiae amice compoſitae Federe Clivenſi a. 1666. d. 9. Sept. (n. 588.). Nunquam tamen ceſſavit querelarum materies, etiam in hunc diem, quae, ne Europae quietem aliquando turbent, bonorum in votis est. De ipſis rerum momentis videri poſſunt Scripp. (54).

De eo quod *Stirps Naſſavia* in Ditiones *Iuliaco-Clivenſes* ſibi petat, exſtat praeiudicium H. GROTII.

§. CXIII. Situs est Pagus *Groesbeek* in Ducatu Cliviae. Ex eius vicinia cum Gelris querelae Regis Boruſſ. de ſylvis ſuis direptis; ſeveriſſimo OO. Gelriae edicto compoſitae, cum a. 1721. tum a. 1764. d. 18. Apr. (55). Groesbeek.

§. CXIV.

(53) AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. VI. p. 387.

(54) MABLY, *Droit Publ.* T. I. P. II. p. 49. ſqq. W. FR. PISTORII, *Amoen. Hiſtor. Jurid.* P. III. p. 167—179. SCHEIDEMANTEL in *Repertorio Jur. Publ.* in *V. Julich*, T. II. p. 553. Nov. Edit. et J. J. MOSER, Verſuch eines Neueſten Europ. Volkerrechts, T. I. p. 130. ſqq.

(55) *Nederl. Jaarboeken*, a. 1764. p. 323. ſqq.

Ager Millinganus.

§. CXIV. Ager *Millinganus* (vulgo *den Millingſchen Dyk*) ſtructus ad Rhenum inter Cliviam et Neomagum. De hoc graviores et diuturnae controverſiae ab a. 1764—1769. quae an penitus ſopitae ſint, ignoro. Maioris haec OO. Belg. momenti vita res est, partim ob nexum cum Canali *Pannerdenſi* et aggere *Spykano* (vulgo *de Spykſche Dyken*) partim ob metum, ne flumina *Rheni Inferioris* et *Iſalae* curſum avertant, vel aggeres nostros infestent; ipſaque Navigatio praepediatur. Tracta diu negotia et querelae; lites ex litibus proſeminatae, cum inter Regem et Provincias, tum ipſas inter Provincias, earumque ministros, de obſtruendis alveorum *Anfractibus* (*Bijkillen*); de novis aperiundis; ac ſimilia. Multa bonae frugis ſcripta inde prognata de *iure fluminum* inter *gentes* liberas *conterminas*, de damnis invicem cavendis, etc. (56). De litibus inter Provv. praeſertim de transfosſione *aggeris Bylandici* rogatus est arbiter Gubern. WILHELMVS V. (57).

Werkeren.

Situm est *Werkeren*, ſive *Werchum*, in Territorio Gelrico, ſed tamquam *Feudum Clivenſe* Regem Bo-

(56) Habentur omnia, quae publici iuris ſunt, in de *Nederl. Jaarboeken*, a. 1764. p. 595. ſqq. a. 1765. p. 227. ſqq. *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1767. p. 1213. ſqq. 1260. et 1401. a. 1768. p. 573, 591. ſqq. a. 1769. P. I. p. 129. ſqq. 261, 394, 521, 534, 543, 568. Add. *Tegenwoordige Staat van Gelderland*, p. 263.

(57) Ibid. *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1769. p. 568.

Digitized by Google

Boruſſ. agnoſcit Dominum directum. De Feudo recognoſcendo lis dudum pendet inter Curiam Feudal. Civiae et Curiam Gelricam Arnhemi, orta *ex Decreto OO. Gelr.* a. 1718. d. 22. Oct. Intervenit a. 1783. Rex Boruſſ. perſcriptaeque ad ipſum per OO. Gelros literae, quibus provocant ad priora Reſponſa et Decreta, ſperantque fore, ut Rex his acquieſcat (58).

§. CXV. Sequuntur controverſiae de Friſia Orientali. Comitatus *Friſiae Orientalis*, vulgo *Oostfriesland*, trans Amaſim, in eoque ſita urbs *Embda*, antequam a. 1744. Regem Boruſſ. agnovit Principem, ſemper fuit Seminarium Diſcordiarum inter *Populum* vel *Ordines* et Principem ſuum Dynaſtam, quibus immixta identidem Reſpubl. Belg. Olim haec Regio plures ſub Imperio R. G. habuit *Dynaſtas*, qui unam quaſi Rempublicam liberam, ſeu potius formam quamdam Regiminis *Ariſtocraticam hereditariam* conſtituebant; qui Dynaſtae, ſimul iuncti, *Comitia Populi*, ſic dicta, fere conficiebant (59). Paullatim tamen per

III. Friſia Orientalis.

(58) Plura *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1783. p. 759. ſqq. et 939.

(59) Horum Dynaſtarum origines, fata, auctoritatem, et iura, egregie deſcripſit, et contra *Vbbonem Emmium*, Hiſtoriae Friſicae ſcriptorem, eiusque ſequaces, vindicavit V. D. MVLLERVS, Diſſ. *de antiquis Orientalis Friſiae Dynaſtis eorumque iuribus*, defenſa Leid. 1730.

Digitized by Google

Status pristinus usque ad Vlricum I.

per Familiarum defectum, per matrimonia, et plures alias cauſſas, ut fit, reliquorum Dynastarum potentia vel decrevit vel interiit, ac ſumma rerum tandem ad unum Dynastam VLRICVM I. devenit.

Sub Edſardo.

Hic a. 1454. ab Imper. FREDERICO titulum adeptus est *Comitis Friſiae Orientalis*. Mutato a. 1650. titulo adiectus est honor *Principatus*. *Embdani* vero, qui ſat pinguia habebant iura, Comitis ſui EDSARDI, quocum non admodum conveniebat, abſentia uſi, armis arreptis ipſum iure hereditario hunc Principatum tenentem Friſiâ a. 1595. expellunt. Hinc lerna malorum! Quae vero in his ab isthoc tempore fuerint Ordinum Belg. Feder. partes, recenſere longum est. Nostris in Annalibus famoſa ſatis vox est, quae in proverbium fere abiit, *de Oostfrieſche Onlusten*. Nam ſecutis proxime disſidiis ſemper fere immixti fuere OO., ſeu conſilia dando, ſeu copias auxiliares miniſtrando, oppidum *Embdanum* et Arcem *Lieroort* praeſidiis militaribus muniendo, gravamina utriusque partis audiendo, ſopiendo, mediatores vel arbitros agendo, immo, ut nonnullis viſum est, iusto maiorem auctoritatem interdum ſibi vindicando.

Ordinum Belgg. arbitria et aliae curae.

In prima a. 1595. Disſenſione OO. capti fuerant Arbitri; ſub eorum fideiusſione ſeu Garantia initum est Pactum *Reconciliatorium* a. 1595. d. 15. Iul. (vulgo *'t Verdrag van Delfzyl*) (p. 212.) (60). Huic

(60) Omnem rem gestam (misſis Germanis et Oostfriſiis) ex Belgis REIDAN. *Ann.* T. XI. p. 250.

BOR,

Huic vero Pacto ENNO, EDSARDI parentis a. 1599. ſucceſsſor, ſtare recuſat; OO. ſuam dignitatem et urbis iura tuentes novo Federe animos conciliant a. 1599. d. 29. Sept. (n. 226.). Acceſsit a. 1603. d. 8. Apr. aliud inter ENNONEM et Vrbem Pactum, arbitris OO. Belg. (n. 230.).

Quum vero ENNO Comes iura ſua adverſus Vrbem ulterius vindicare conaretur, rogati OO. GG. Copias militares, praeſidii loco, urbi *Embdae* et *Lieroort* imponunt; ſed intercedente Rege Angl. a. 1606. d. 10. Nov. Hagae Com. inſtauratur Pactum *Delfzylanum* (n. 238.) ex quo OO. GG. ſemper deinceps *Cohortes praeſidiarias* illic habuerunt.

Recrudeſcebant ſaepe contentiones (61), et hinc multa Pacta et Federa.

Conditum hac occaſione ab OO. Fedd. munimentum *Langakkerſchans*; quod ſuo in fundo exſtructum dolebat Comes, negabant OO.

§. CXVI. Sed a. 1720. longe maior exarſit inter Comitem et ipſos totius Ooſt-Friſiae Ordines diſcor- Nova Principis cum Ordd. Friſ. controverſia.

BOR, *Nederl. Oorlogen*, L. XXXI. fol. 90. L. XXXII. fol. 44. ſq. Minus ex aequo rem vulgo narrat WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. VIII. p. 419. et alibi.

(61) His enarrandis plenus est LEO AB AITZEMA, ipſe Friſius, et rerum actor, *Zaken van Staat en Oorlog*, ad a. 1611—1643. Vnde ſua fere hauſit WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. X. p. 52, 439. T. XI. p. 43, 226, 350. T. XIII. p. 90, 351. quibuscum tamen conferri debent Scripp. Germani.

cordia de mutuis iuribus. Princeps gravamina ſua nunc non ad OO. Fedd. ſed ad ipſum Imperatorem ſeu Concilium Aulicum detulit. Idem fecerunt OO. Friſiae. Imperator litem pro Principe dirimit, et urgente Imperatore et ipſa Rep. Belg. urbs Embdana ſe ſubmittit (n. 964, 992.). Illud tamen obtinuere Embdani, ut ipſorum ratio haberetur in Artic. ſepar. Federis Vindob. a. 1731. (n. 999.) inter Imper. Regem Angl. et qui acceſſerant OO. Belg., in quo OO. Belg. ſibi ſua etiam iura reſervarunt, 1. in *cohortes praeſidiarias* urbis *Embdae* et *Lierort*, ſub titulo *Garantiae*. 2. in grande aes alienum, ab Friſiis interim conflatum. De quibus non ſervatis ſaepe deinde apud Imperatorem conquesti ſunt OO. Belgae, oppoſuit ſe Comes Friſ. (62).

Verum ab a. 1744. mutata penitus ſcena est, ex quo, Principe CAROLO EDSARDO ſine ſobole mortuo, mota quidem est de ſucceſſione inter Familias *Brandeburgenſem* et *Hanoveranam* controverſia, quae diu in Tribunali Imperio Rom. Germ. est protracta (63). Interim ipſum Principatum ſibi

(62) Hinc ortus Liber, *Le Droit de Garantie actuel des Etats Generaux ſur les Traités d'Oost-Friſe*, ROUSSET, *Recueil*, T. VIII. p. 154. ſqq. add. T. XVII. p. 334. et WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XIX. p. 73. et 476.

(63) ROUSSET, *Recueil*, T. XIX. p. 7. et 53. *Europ. Merc.* a. 1752. P. II. p. 22. ſqq. *Mercure Hiſtor. & Polit.* a. 1744. P. I. p. 663. et a. 1752. P. II. p. 48. et 162. ſqq. De utriusque iuris titulo *Mer-*

Digitized by Google

ſibi vindicat Rex Boruſſ. cuius ius, etiam ab OO. Belg. Feder., agnoſcitur a. 1744. d. 5. Iun. (n. 1035.). Exitus Reip. Belg. fuit Transactio Regis Boruſſ. cum OO. GG. ſuper pristinis controverſiis, a. 1744. d. 21. Aug. (n. 1037.) qua Praeſidia Ordinum militaria ex *Embda* et *Lieroort*, per ſesqui fere ſeculum illic collocata, revocantur, et ipſe Rex pro ſubiectorum Debitis, quae ad plura centena millia excreverant, ſpondet ac fideiubet. Reditus ſ. Pecunias ſolvendis his debitis deſtinatas Rex Gall. a. 1757. in bello cum Reg. Boruſſ. intercεperat. Sed res compoſita (64).

§. CXVII. Multiplex olim de Vectigalibus disputandi materies, Pactis Conventis identidem diremta. — 2. Quaeſtiones de Vectigalibus.

1. De Vectigali ad *Gennapam* iuxta Moſam, ſeparato Federis Artic. ad 12 annos convenerat, a. 1666. d. $\frac{6}{16}$. Febr. (n. 579.). His annis elapſis ex Compromiſſo de hoc ſtatutum eſt Feder. *Neomag.* a. 1678. d. $\frac{26.\ \text{Febr.}}{8.\ \text{Mart.}}$ (n. 703.) §. IX. (65). Nova ſuccrevit, ſed alio ex capite, Controverſia a. 1706. (66). — Ad Gennapam.

2. De

Mercure Hiſtor. & Polit. a. 1744. P. II. p. 199, 440. et *Nouvell. Extraord.* a. 1744. n. 99. *Suppl.*

(64) Querelas et exitum *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1758. p. 33—39. *Mercure Hiſtor. & Polit.* h. a. P. I. p. 53. ſqq. 254; 828.

(65) Conf. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XIII. p. 184.

(66) LAMBERTY, *Memoires*, T. IV. p. 328.

Digitized by Google

Alia Vectigalia. 2. De reliquis Vectigalibus ad *Moſam*, *Rhenum*, et alibi locorum, et quid in his actum, a. 1611, 1617, 1663, 1715. dicere praetermitto.

c. Debita pecuniaria. §. CXVIII. Transeo ad Debita Pecuniaria. Celebre est nomen *Debitum Hoefyſeranum* (vulgo *de Hoefyzerſchuld*).

Hoefyzer. Eius origo, nomen, natura, quantitas, et *Anatocismus* promisſus, patet ex n. 282. Pro hoc Debito ab Electore ſolvendo OO. GG. fidem ſuam civibus obſtrinxerant; eoque non ſoluto, et immenſum tandem excreſcente, quot quantaeque Belgarum Ordinibus fuerint taedia, molestiae, contentiones, incommoda, docent tot Pacta Conventa, ex his Pactis nova Ordinum iura, Tributi Bellici et Vectigalium oppignerationes, nec non Ius collocandi Praeſidii in Cliviae Oppidis, alia (n. 298, 310, 329, 338, 356.). Accesſerunt *quinque Academiarum Belgii Conſultationes* a. 1662. nec non creſcente et pecunia et controverſia, ſingulari ſed laudabili inter gentes liberas exemplo! a. 1665. d. 1. Aug. (n. 567.) compromisſio per Electorem et OO. GG. in exterum *Tribunal Mechliniense* Brabantiae, perinde ac ſi *Subditi* esſent *naturales Regis Hiſpan.* (67). Post multas tergiverſationes pronunciata tandem est, ſed de parte duntaxat, ſententia *Mechliniae* a. 1668. d. 5. Iun. (n. 614.). Quod controverſiarum reliquum

(67) Cf. S. PUFENDORF, *Rer. Brandenburg.* L. X. §. 10. p. 514. AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. XI. P. II. p. 1080. ſqq. *Hiſtoire des Traités*, T. II. p. 28—33.

Digitized by Google

quum erat, ex Federe temporario X. annorum terminatum eſt a. 1678. d. $\frac{26.\ Febr.}{8.\ Mart.}$ (n. 703.) et cum aliis quaeſtionibus penitus eſt compoſitum a. 1685. d. 23. Aug. (n. 745.) et utrimque renunciatum omni poſtulato pecuniario ex prioribus Pactis et ex ſententia Mechlinienſi prognato.

§. CXIX. Plura fuere cum Electoribus, imprimis WILHELMO FREDERICO Pacta *Subſidiaria* et *Stipendiaria*, a. 1666, 1672, 1674. (n. 579, 580, 641, 677.). Vnde Belgis contractum ingens aes alienum, de eoque ſolvendo plures deinde quaeſtiones, oppoſitae Debito Hoefyzerano; omnia amice compenſata a. 1685. ut ſupra monitum. Alia debita.

Aliud in Bello Sociali ab Rep. Belg. contractum debitum, id quod, querente Rege a. 1717. iam excreverat ad *f* 1,223,148. de quo h. a. d. 5. Apr. (n. 948.) ex pacto cautum eſt.

§. CXX. Supereſt poſtulatum de nominibus ſeu aere privatis debito ad *f* 2,000,000. pro quo aſſignati et oppignerati ab Imperatore CAROLO VI. erant *Reditus Ducatus Sileſiaci*. Inito deinde a. 1742. d. 11. Iun. (n. 1029.) Federe *Breslavienſi* inter MARIAM THERESIAM, CAROLI VI. filiam ac Regem Boruſſ. de Ducatu Sileſiae Regi cedendo, interceſſit §. IX. ſtipulatio circa ſolvendam Pecuniam Belgis et Anglis debitam. Quid de his a. 1753. inter ambos illos Reges actum ſit, narratur in *Nouvell. Extraord.* a. 1753. n. 1, 4, 5, 6. *Suppl.* Quantum ad Belgas, quid de his actum ſit, ignoro. Hoc mihi conſtitit, legatum noſtrum a. 1749. ſq. conſilia hac de re adhuc Viennae contuliſſe. Mitto, quae Imperatore IOSEPHO II. a. 1781. Reditus Sileſ.

Bel-

Digitized by Google

Belgium viſente dicta; quaeque a. 1785. durante cum eo de Moſa-Traiecto controverſia, agitata per Ordines ſunt conſilia; et quid reſponſum (68).

D. Controverſiae Arauſiacae.

§. CXXI. Sequuntur Controverſiae ſuper Bonis et Domaniis Familiae Principum Naſſavio-Arauſiacae, a WILHELMO III. Rege M. Brit. et Belgarum Gubernatore relictis.

Tanta est ſemperque fuit illuſtrisſimae Familiae cum Arauſionenſis tum Naſſavienſis cum libera Belgarum Republica necesſitudo; tanta etiam Domaniorum ac Dynastiarum, quaquaverſum diſperſarum, cum ea connexio; tam inſignis in exteris Regionibus, Germania, Burgundia, Brabantia, et alibi, Principatuum ac Bonorum posſesſio, ut ſine horum omnium accurata notitia multa Belgarum cum Gentibus exteris Federa, multa etiam Publica Acta Domestica, plures in primis Controverſiae cum Rege Hispaniae, ac deinde cum Rege Borusſiae, aliisque, post mortem WILHELMI III. a. 1702. motae, intelligi vix queant, niſi Statum Familiae et Bonorum cum pristinum, tum qualem ſe a. 1702. habebat, perſpectum habeamus. Hinc digna

(68) Conferri posſunt *de Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1781. p. 1350. Quaeſtio huc redire videtur: an res inter alios acta perimat ius creditoris exigendi pecuniam ab eo, qui aes alienum contraxerit. Non perimere cenſeri volunt, quae hac de re habentur Monita in *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1786. p. 209.

digna res eſt, quae paullo altius repetatur, facto initio ab *Principatu Arauſionenſi.*

§. CXXII. Stirps *Arauſionenſis* una eſt ex antiquisſimis et illuſtribus Europae Familiis. Haec iam inde ab ſeculo X. raro utique ſed genuino exemplo! in Principatu Arauſion. ſummo Imperio (69), usque ad ſeculum XVI., iure hereditario quiete uſa eſt. Eius Principe PHILIBERTO CABILLONENSI (noſtris in Annal. PHILIBERT DE CHALONS), partes CAROLI V. Imper. in bello contra Gallos ſecuto, Rex Galliae Principatum publicavit, nec niſi ex Pace Madrit. a. 1526. d. 14. Ian. §. XXXII. (n. 110.) et Pace Camerac. a. 1529. d. 5. Aug. §. XXVIII. (n. 112.) pleno iure reſtituit. Succesſorem is nactus RENATVM *Cabillonenſem* (vulgo *Rêné de Châlons*) *Sororis* filium. Is ex HENRICO *Com. Nasſav.* (TAB. B.) progenitus Bona Gentis Nasſavicae *Belgica*, *Burgundica*, aliaque in Gallia, una cum Principatu *Arauſionenſi* coniunxit. Hunc vero Principatum per

Gens Arauſiaca.

Principatus fata usque ad Wilh. III.

---

(69) De eius ſitu, nomine, hiſtoria, ac fatis JOSEPH DE LA PISE, *Tableau de l'Hiſtoire des Princes & Principauté commençant à* GUILLAUME *au* CORNET, *1er Prince d'Orange jusques à* FREDERICH HENRY *de Nasſau*, à la Haye 1639. fol. De ipſa Principum Genealogia IOHANNES WILHELMVS IMHOFF, *Notit. Procerum Imper. R. G.* a. 1732. p. 421—433. Conf. *l'Art de vérifier les Dates*, p. 758. ſqq. et V. D. MOREAU, *Principes de Morale, & du Droit Public de France*, ab T. XIII. in Append. p. 416. ſqq.

Digitized by Google

per novum bellum amisſum, quia tamquam Gubernator Generalis CAROLO V. fidelis erat, ex Federe Niceënſi a. 1538. d. 18. Iun. (n. 119.) recuperavit. Deinde pro more istius aevi facultatem Testandi a. 1544. d. 14. Maii (n. 123.) ab CAROLO V. Imper. nactus, die 20. Iun. (n. 124.) omnium bonorum ſuorum heredem ſcripſit WILHELMVM filium Patrui ſui, Principem nunc *Arauſiacum* h. n. IX. noſtris in Annalibus WILHELMVM I. Confirmata haec illi bona ſunt duplici cum Rege Gall. Federe a. 1544, 1559. (n. 129, 140.). Ademtus iterum huic Principatus ob leves de Religione ſuſpiciones, nec redditus niſi ex Federe Regis cum HVGENOTIS a. 1576. Succesſit WILHELMO I. a. 1584. filius PHILIPPVS WILHELMVS, in Hiſp. captivus; huic ordine ſuo fratres MAVRITIVS, et FREDERICVS HENRICVS, et ſic ad FREDERICI HENRICI ex filio WILHELMO II. nepotem WILHELMVM III. Regem deinde M. Brit. delabitur: quo ſine liberis defuncto naſcuntur Controverſiae; de quibus infra.

Gens Nasſavia.

§. CXXIII. Quod ad gentem *Nasſaviam*, eiusque in *Germania* et *Belgio* Bona! Eſt Gens *Nasſavia* nulli Imperii Germanici Principum Familiae ſecunda; multis etiam antiquitatis et ſplendoris palmam facile praeripit; quippe quae, teste IMHOFF (70), ab anno circiter 1060. Comites et Du-

(70) IMHOFF, *Notit. Procer. Imper. Rom. German.* P. I. p. 410.

V

† 1688. ux.
ICI HENRI-
om. Palat.
ren, ſine li-

WILHELMVS II. Pr. Arauſ., † 1650. UX. MARIA STVARTA, f. CAROLI I. Regis Angliae.

WILHELMVS III. Pr. Arauſ. Rex M. Britann., † 1702. ſine liberis. Vxor MARIA STVARTA, f. Ducis Eboraci, postea Regis, IACOBI II.

Digitized by Google

Duces Gelriae produxit; a. 1292. ADOLPHVM Imperatorem Regno Germ. dedit; quatuor Archiepiſcopos, Electores Moguntiacos, aliosque Proceres et Principes progenuit.

§. CXXIV. Origo repetitur ex Comitibus *de Laurenburg*, iam ſeculo XI. claris. Qui inde prognatus fuit, HENRICVS Cogn. *Dives*, Comes Nasſavius, duos per filios WALRAMVM et OTTONEM, duas proſeminavit Lineas vel Stirpes, dictas *Walramicam* et *Ottonianam*, ex TAB. A. Origo.

De *Ottoniana* ſermo nobis est. Ex illa per istius OTTONIS pronepotem IOHANNEM, qui obiit a. 1416. et ipſius filium ENGELBERTVM I. Comitem *Nasſaviae*, prognatae ſunt quinque Lineae ſive *Familiae*, quibus nomina *Nasſau-Oranje*, *Nasſau-Dillenburg*, *Nasſau-Siegen*, *Nasſau-Dietz*, et *Nasſau-Hadamar*. Extenſisſima istius ſtirpis Nasſaviae fuere Bona, Domania, ac Principatus; de quibus, eorum accesſionibus, quaeque praeterea ex larga WILHELMI I. hereditate ſibi quaeſivit et reliquit WILHELMVS III. ut iudicium feratur, primo videamus WILHELMI I. bona *paterna*, quibus alia bene multa per nuptias, emto, aliisque titulis deinceps accesſerunt. Linea Ottoniana.

Nimirum ENGELBERTVS I. natus ex IOHANNE Com. Nasſaviae (71) (unde recta linea deſcen- Stirps Nasſavio-Bredana.

---

(71) Haec omnia quo melius intelligantur, atque omnis Familiae Nasſaviae ſuos in ramos ſeu lineas diviſio uno conſpectu exhibeantur, adieci *Tabulam Genealog.* B. ex Documentis et Actis Authenticis quam maxime hauſtam

ſcendit WILHELMVS I.) fuerat omnium Bonorum in Germania ſitorum haeres ac poſſeſſor. Obtinuerat is *Naſſau-Dillenburg*, *Herborn*, *Siegen*, *Dietz*, *Vianden*; et ducta Vxore IOHANNA, patris herede, his adiecerat Baroniam *Bredanam* ac Dynastias *de Lekke* et *de Polane*. Ex his ortus IOHANNES Baro Bredan. h. n. VII. nactus est a. 1458. Oppidum *Steenberge*, alluviones de *Willemſtad* et *Klundert*, et Baroniam *Grimberge*. Duos hic reliquit filios, ENGELBERTVM II. et IOHANNEM h. n. VIII. Defuncto ſine liberis ENGELBERTO II. ſucceſſit frater ille IOHANNES, qui, ducta uxore ELISABETHA filia HENRICI Landgrav. Haſſ. et Comitis *Catſenelleboge*, bona ſua omnia, ut et fratris ENGELBERTI II., ex Pacto a. 1509. diviſit in duos liberos HENRICVM et WILHELMVM. HENRICVS Belgica, WILHELMVS Germanica Bona ac Principatus ſortitus est. HENRICVS ille, Comes Naſſaviae, Baro Bredanus, ſuae portioni adiecit Dynastias *Dongen* et *lage Zwaluwe*, eique natus filius RENATVS, de quo ſupra. WILHELMVS dictus *Senior*, bona ſortitus *Germanica*, ex uxore IVLIANA DE STOLBERG, obitus tempore a. 1559. duos habuit filios WILHELMVM I. natum a. 1533. et IOHANNEM I. dictum itidem *Seniorem*, natum a. 1535. hunc *Gelriae*, illum *Hollandiae* deinde Gubernatorem. Hi avitam hereditatem inter ſe dividebant ex Pactis a. 1557. d. 30. Aug. et 1560. ex eaque (ſiquidem ſat bonorum in Belgio per RENATVM ſibi quaeſiverat WILHELMVS I.) IOHANNI SENIORI relicta ſunt Principatus et Domania *Naſſau-Dillenburg*, *Herborn*, *Siegen*, *Dietz*, *Hada-*

Bona Germanica.

V S

WILHELMS CAS

Natus Filius *poſtumus*. † 16
ro vitae initio.
1667. in Hollandia di
tur per abolitum
1668. *Primus* Zeelandi
in Senatum intr
1670. Aſſeſſor Concilii
Staten.)
1672. d. 24. Febr. Su
Hollandia, ſed a
1672. d. 29. Iun. Gub
1673. Ab Rege Hiſp.
Ab Imper. omni
fectus (*Chef ove*
1674. d. 2. Febr. Fit
Linea *Maſcula*.
1674, 1675. Tres Pr
inſigni cum laud
reſtituit.
1677. Nuptias init cu
COBI Ducis El
Brit., filia, † 1
1689. Proclamantur R
tanniae.
1702. d. 19. Mart. ob
Teſtamento 169
IOHAN WILHE

ILHEL
7. † 17

CARO
FRIS
nus 171

ELMV
bernator

Digitized by Google

EDERIC
4. Aug.

Digitized by Google

V

T. E. N. S.

ST CASIMIR,

73. d. 22. Dec. † 1

1, ex alio Pacto a. 1621

RICI IVLII Duc.

n. 1612

Gul

ASIMIR, n. 1657. d.

iae Heredit. a. 1664.

ning. et Drent. Subp

, fil. IOHANNIS GEO

11. Aug. Nupt. 1683

LHELMVS FRISO,

Gubernat. Friſiae

1. 1702. heres WILH

a. 1708. Gube

1. CAROLI Lantgr.

Nupt. a. 1709. d. 2

ANN

n.

Vxor FREDER

n.

Vx

n. 1735. d. 16.

FREDERIC

n.

WILHELMVS FR

n. 1772. d. 2

Digitized by Google

Digitized by Google

B V

S P S E V D

N A - S I

V S GESTIS

NASSAV-SIEG

n. 1735. d. 16

FREDERIC | WILHELMVS | FR
n. | n. 1772. d. 2

damar (72). De WILHELMI progenie conſule TAB. C. de IOHANNIS SENIORIS, TAB. D.

§. CXXV. Fuerunt igitur WILHELMI I. Bona paterna ex ceſſione ſive Pacto Familiae a. 1560. non admodum magna, ſed erant *acquiſita* longe inſigniora. Nam Bona Belgica Wilhelmi I.

1. Ex Testamento RENATI non modo a. 1545. ſibi acquiſivit (ut ſupra dictum) Principatum *Arauſionenſem* et Bona omnia *Cabillonenſia* in Burgundia, et alibi ſita. Sed quum RENATVS heres etiam fuisſet paternus omnium ditionum Belgicarum, ex eodem Testamento ei obtigerunt Dynastiae *Breda*, *Lek*, et *Polane*; nec non plures aliae poſſeſſiones, quas RENATI avus et proavus, ambo IOHANNES, Dynastae Bredani, et Pater HENRICVS ſibi acquiſiverant, uti erant *Steenberge*, *Willemſtad*, *Klundert*, *Dongen*, *Zwaluwe*, *Grimberge*, *Diest*, *Sichem*, *Catſenelleboge*, etc.

2. Ex emto vel pignoris loco ſibi quaeſivit *Oppidum Grave* et Territorium *de Kuik*. Nec non Marchionatum *Verae* et iunctum ei Dominium *Vlisſinganum*.

3. Per Nuptias cum prima Vxore ANNA EGMONDANA, Comitisſa *de Buren*, unica filia et herede

MA-

---

(72) Haec bona omnia, inter quinque, quos ſuperſtites filios reliquit IOHANNES SENIOR, diviſa, maxima ex parte deinde ad WILHELMVM IV. *Naſſau-Dietzanum*, et ſic ad WILHELMVM V. Reipubl. Gubernatorem, quem diu incolumem ſervet patria! delapſa ſunt; ut infra patebit.

MAXIMILIANI, Comitis *de Egmond*, ſibi comparavit Comitatum *de Buren*, Comitatum *de Lingen*, *Leerdam*, *Yſſelſtein*, *St. Maartensdyk*, *Cortgena*, aliasque in *Zeelandiae* Inſulis poſſeſſiones.

Ex quatuor autem Matrimoniis WILHELMVS I. Princeps Auriac. a. 1584. perfide trucidatus, praeter plures filias *tres* duntaxat *filios* reliquit; PHILIPPVM WILHELMVM, heredem Principatus Auriac. MAVRITIVM, et FREDERICVM HENRICVM, cum iisque inſignia illa Bona, Domania, Principatus, Baronatus ac Dynaſtias, in Gallia, Burgundia, Luxemburgo, Brabantia, alibique in Belgio Hiſpan., in parte Germaniae et in Belgio Feder. eiusque Territoriis acceſſoriis; ſed ea partim aere alieno gravata (73), partim publicata.

Vt

(73) Quantopere WILHELMVS I. in conſtituenda Belgarum Republica rem familiarem exhauſerit, teſtatur inſigne iſtud aes alienum, de quo ad ſummam *f* 1,400,000. adhuc a. 1594. d. 30. Iul. tranſactum eſt inter ipſius heredes et IOHANNEM *Naſſaviae* fratrem. P. BOR, *Nederl. Oorlogen*, L. XXXII. fol 126. nec non quae a. 1582. ipſum premebant Debita ex duabus Expeditionibus Militar. a. 1568. et 1572. pro quibus fidem ſuam obligarat ad ſummam circiter *f* 2,400,000. Vid. *Reſol. van Holland*, a. 1582. fol. 309. Teſtantur alia. Sic querebatur a. 1601. MAVRITIVS ſe omne ſuum Patrimonium una cum annuo OO. ſtipendio conſumſiſſe. Et a. 1608. d. 7. Mart. *Reſol. van Holland*, declarant coram OO. heredes IOHANNIS Com. Naſſ.

Digitized by Google

Vt *publicata* heredibus redderentur, Rex Gall. in Feder. cum OO. Belg. a. 1596. d. 31. Oct. (n. 214.) operam dare apud Regem Hiſp. promiſit; ipſi etiam OO. Belg. in *Pacto Induciar.* a. 1609. §. XIV. (n. 247.) ſtipulati ſunt, 1. ut heredibus WILHELMI I. reſtituerentur omnia *bona paterna*, etiam ea quae in Comitatu *Burgundiae* iacebant. 2. Quae cauſſae iudiciariae pendebant in *Curia Mechlinienſi*, de Territorio CASTELLO-BELINO (*Châtelbelin*) intra annum terminarentur. 3. Quae WILHELMVS I. ab a. 1567. contraxerat debita, in cenſum non venirent. Dum ſeparatim (n. 249.) Archidux ALBERTVS promitteret, ſe actutum praeſenti ſoluturum pecunia *f* 300,000., ac reliqua WILHELMO I. debita identidem exſtincturum.

Haec a. 1610. d. 7. Ian. (n. 258.) extenſa etiam ſunt ad bona CAROLESIA (*Charelois*).

§. CXXVI. Inſtituta etiam circa id temporis a. 1609. d. 27. Iun. (n. 255.) est diviſio inter Fratres, WILHELMI I. liberos. Ex hac Diviſio inter Wilhelmi I. liberos.

1. PHILIPPVS WILHELMVS ſibi retinuit Principatum Arauſiacum, Ditiones Cabillon. in Burgundia, omnes Iuris Actiones in bona *Castellobelina*, cuncta *Brabantiae* et *Flandriae* Domania *Bredam*, *Steenberge*, *Diest*, *Herſtal*, *Warneton*, et Comitatum *de Buren*. Nec non uſumfructum in *Lu-*

Naſſ. *dat Hun huis alle vier jaren f* 100,000 *Ryksdaalders ten achteren ging door de ſchulden en intereſſen.* Add. a. 1609. d. 17. Mart.

Luxemburg: Comitatus *Vianden*, *St. Vithi*, *Daesburg*, etc. Denique tertiam partem Debiti pecuniarii, ab Archiduce Familiae Auriacae promiſſi.

2. MAVRITIO, Comiti et Gubernatori, aſſignantur Marchionatus de *Vere* et *Vliſſinge*, Dynastiae *de Klundert*, *Grave*, *Kuik*, *Lek* et *Polane*; bona *Luxemburgica*, et iuris actiones in Dynastias *de Linge*, *Kloppenburg*, etc. et altera Debiti portio.

3. FREDERICO HENRICO vindicantur Dominia *Geertruidenberg*, *Zwaluwe*, *Drimmele*, *Waspik*, aliaque in *Zuid-Hollandia*, cum tertia Aeris Debiti portione.

Tres ſorores, ſuperſtites, ab fratribus ſuſtentandae, annuos habebunt Reditus *f* 3500. ab OO. Fedd. ipſis aſſignatos.

Ea Lege in hanc Diviſionem conſenſit MAVRITIVS, ſi OO. Fedd. ſibi reditus annuos *f* 25000. haud denegarent.

Secuta quoque est a. 1612. d. 23. Febr. inter Archiducem ALBERTVM, et PHILIPPVM WILHELMVM, Bonorum ipſi aſſignatorum in Burgundia permutatio, pro quibus PHILIPPO WILHELMO in proprium data est Dynastia *de Turnhout*, ſed intercedentibus OO. Brabant. ad vitam duntaxat conceſſa est, adiecta *f* 150,000 ſumma.

Mauritius omnium bonorum heres.

§. CXXVII. PHILIPPO vero WILHELMO, a. 1618. ſine liberis obeunte, ex eius Testamento a. 1618. d. 20. Febr. (n. 289.) heres ex aſſe ſcriptus MAVRITIVS, adiecta ſuccedendi lege. Summum Imperium Arauſionenſe adeptus Gratulationes Principum Europae recepit. Multa inſuper his adiecit bona, in Hollandia et Gelria.

Huic,

Huic, coelibi, ex Teſtamento a. 1625. d. 13. Apr. (n. 315.) ſucceſſit frater FREDERICVS HENRICVS (74). Sub hoc multa cum Hiſpanis actitata. Referunt, Regem Hiſpaniae FREDERICO HENRICO, a. 1647. Hulſtam obſidenti, ſi promovere pacem cum OO. GG. vellet, obtuliſſe omnium, quae maiores in Burgundia poſſederant, Bonorum reſtitutionem; et annuos inſuper Reditus *f* 200,000. cum oppido Gelra, ad damna reliqua reſarcienda. Principem vero indignabundum oblatas conditiones tanti velle emere, neque Regem Gall. inſuper poſſe haberi, negaſſe; ac ſtatim *Hulſtam* expugnaſſe (75). Succedit frater Fredericus Henricus.

Poſtquam tamen OO. Belg. magis animum ad Pacem flecterent (§. XXXVIII.), huius promovendae gratiâ, a. 1647. d. 8. Ian. (n. 407.) inter Regem Hiſp. et Principem FREDERICVM HENRICVM (76), Pactum Conventum initum est, ad exſtinguenda omnia Domus Auriacae poſtulata ac debita: quo, praeter ea, de quibus ſeparatim tractaretur, cavetur de Dynaſtiis *Montfoort*, *Turnhout*, *Zevenberga*, *Berga ad Zomam*, *Diest*, *Sichem*, Co- Pacta cum Hiſpanis.

---

(74) De vendito per Mandatarium a. 1627. Regi Gall. Principatu Arauſionenſi, ipſo inſcio et invito, quid actum ſit, narrat *'t Leven van* FREDRIK HENDRIK, T. I. p. 397. ſqq.

(75) *Hiſtoire des Traités*, T. II. p. 89.

(76) Minime vero, WILHELMVM II. ut perperam DV MONT, *Corps Diplom.* T. VI. P. I. p. 365.

Digitized by Google

Comitatu *Meurſano*, etc. Habuit is Vxorem AEMILIAM, Comit. *Solmens.*

Wilhelmus II. §. CXXVIII. His intermoritur Princeps a. 1647. Ex Testamento a. 1644. (n. 383.) condito heredem omnium bonorum ſcripſit WILHELMVM II, filiabus vero, quas plures reliquit, aſſignavit ſingulis reditus inſignes annuos, et, ſi quando nuptias contraherent, eximiam dotem. Ex hoc Teſtamento, eiusque ab anterioribus diverſitate, haud exigua deinde Controverſiarum materies. Erant 4or. filiae ſuperſtites;

Eius ſorores. 1. LOVISA HENRICA, nupta FREDERICO WILHELMO, Electori Brandenburgico. Vnde hodie Rex Boruſſiae.

2. ALBERTINA AGNES, nupta WILHELMO FREDERICO, Principi Naſſau-Dietzano; unde Belgarum cum maxime Gubern. WILHELMVS V.

3. HENRICA CATHARINA, uxor IOHANNIS GEORGII, Principis Anhaltino-Deſſavienſis.

4. MARIA, uxor LVDOVICI HENRICI, Comit. Palat. de Simmeren.

Pacta cum Hiſp. §. CXXIX. Sub WILHELMO II. altera Regis Hiſpan. Conventio priorem excepit a. 1647. d. 27. Dec. (n. 417.) qua Reditus a Rege Hiſp. promiſſi augentur. Inita paullo poſt *Pace Monaſter.* a. 1648. confirmata non modo ſunt duo illa Pacta, §. XLV. Sed OO. GG., uti §. XXIV. pro ſubditis ſuis cavebant, ita etiam variis §§. XXV—XXVIII. ſtipulati ſunt, ut quae inde ab turbis civilibus ademta et publicata erant Bona et Principatus Domus Auriacae in Burgundia, Caroleſia, et alibi, illa ex Federe Induciarum a. 1609. et Ampliatione a. 1610. §. XIX. redderentur vel re-

reſarcirentur. Porro §. XLIV. confirmatur poſſeſſio bonorum in *Hulſterland*, et alibi, in Ditione olim Hisp., nunc Belgica, ſita; et *Pacto Separato* de reliquis, quae non poſſidet, transigetur. Porro Rex Hisp. §. XLIX, L. renunciat omni iuri in Oppidum *Grave*, terram *Kuik*, *Lingen*, *Bevergarde*, *Kloppenburg*, etc.

§. CXXX. Mortuo WILHELMO II., ſub nato ei filio *poſtumo* (77) WILHELMO h. n. III. novum de reſiduis Debitis ex ſtipulatione Pacis Monaster. §. XLIV. acceſſit Pactum, idque magni momenti, inter Regem Hisp. et WILHELMI Tutores, a. 1651. d. 12. Oct. (n. 444.) quo, ortâ de *Bergazomenſi* poſſeſſione difficultate, Rex WILHELMO III. ceſſit quidquid in Belgio Hisp. commutando erat deſtinatum, et defectum *Bergazomenſem* ſupplebit *f* 500,000. parata pecunia; adiectis pro reliquo Debito annuis Reditibus *f* 80,000 (78). Pro iisque pignori obligat Domania et Reditus *Brabantiae* ac *Flandriae*. Wilhelmus III. Pactum cum Hisp.

§. CXXXI. Atque ita WILHELMVS III. tot bonorum heres! Sed et hoc erat in fatis, ut, qui Rem- Bonorum Wilhelmi III. fata.

---

(77) Obiter obſervo ex *Stirpe Naſſav.* qui Rempubl. Belgarum ab interitu vindicarunt, duos exſtitiſſe masculos, post *parentis* mortem natos, cui accedit tertius paullo ante patrem natus: 1. WILHELMVS III. 2. WILHELMVS IV. 3. FREDERICVS HENRICVS, natus a. 1584.

(78) Inſignis profecto ſumma! Sed tanto inter alia conſtiterat Regi Hisp. Pax Monasterienſis.

Digitized by Google

Rempublicam, turbatam, immo ad incitas redactam, tandem eſſet liberaturus, eam infans experiretur novercam. Nam variis modis, illo infante, res ipſius ac totius familiae in Belgio vehementer afflictae iacuerunt. Non hic referam acerrimas controverſias de *tutela perſonali* et *cura bonorum* WILHELMI III. inter ipſius matrem MARIAM STVARTAM, aviam AEMILIAM, et avunculum *Electorem Brandenburg.*; ac ſententiam Curiae Holl. a. 1651. d. 31. Maii de his latam (n. 440.).

Mitto alteram Curiae ſententiam de MARIAE VIDVALICIO, ac de bonis *Leerdam* et *Yſelſtein* a. 1653. d. 31. Ian. (n. 450.).

Taceo controverſias de adminiſtrando *Principatu Arauſionenſi* in Gallia, et ſecutam Transactionem a. 1660. d. 25. Febr. (n. 511.) quam cauſſatus Rex Gall. a. 1660. Principatum invadit, occupat, ſibi ſervat, nec niſi post multos, etiam ab OO. GG. impenſos, labores, a. 1664. reſtituit (n. 512, 565.) eumdemque iterum orto cum Republ. bello a. 1672. WILHELMO ademtum, nec niſi *Pace Neomagenſi* a. 1678. §. XVI. (n. 710.) Principi reſtitutum; ortis vero novis contentionibus, contra Pacis fidem (79), denuo occupatum, et in *Pace* demum *Rysvic.* inter Gall. et Anglos a. 1697.

§. XIII.

---

(79) Sic certe Scripp. Rerum Momenta dedit PVFENDORF, *Rer. Brandenburg.* L. XVIII. p. 1193. ſq. *Holl. Mercur.* a. 1682. p. 231. ſq. SYLVIVS, T. II. P. I. p. 243. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XV. p. 99, 236. ſq.

Digitized by Google

§. XIII. (n. 809.) WILHELMO III. (nunc Angliae Regi) redditum. A quo tempore WILHELMVS III. quietus Principatus poſſeſſor permanſit usque ad obitum.

Aliae deinde lites ex Testamento a. 1660. d. 24. Dec. (n. 519.) MARIAE, matris WILHELMI a. 1661. defunctae, exortae de *tutela*; ex quibus nova inter *Electorem Brandenburgenſem* una cum AEMILIA, WILHELMI III. avia, et inter MARIAE fratrem, Regem M. Brit. Conventio a. 1661. d. $\frac{17}{27}$. Maii (n. 525.).

Agitata etiam fuit controverſia coram Curia Mechlinienſi cum *Comitiſſa Iſengienſi* in Brabantia, de debitis pecuniariis; de arrepta Bonorum poſſeſſione. Sententiam Curiae deinceps ſecuta est Transactio a. 1662. d. 31. Mart. (n. 530.) tractaeque diu de Exſecutione lites (80).

Praetereo alias quaeſtiones, de aere contracto ad *f* 100,000. quod Rex Gall. adhuc a. 1665. debebat WILHELMO I. eiusque heredibus (81): de dote MARIAE, Matris WILHELMI III. ex pacto nuptiali cum WILHELMO II. a. 1640. (n. 370.) promiſſa, ad ſummam *f* 40,000 L. Sterl. quam cum uſuris repetebant Tutores: deque pe-

(80) WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XV. p. 236. Cf. AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. X. p. 159, 836. ſq. et 842.

(81) Haec ſatis agnoſcunt Literae D'ESTRADES, *Lettres Memoires & Negociations*, T. III. p. 545, 572. T. VI. p. 261. ſq.

pecuniis, mutuo datis Regi Angliae CAROLO II. et quae fere ad *f* 2,000,000. excreverant a. 1663. (82).

De annua penſione AEMILIAE Viduae FREDERICI HENRICI ad *f* 40000. a. 1649. aſſignanda, protractae ſunt Deliberationes ad a. usque 1674. eius morte exſtinctae.

Debita Hispanica.

§. CXXXII. Redeo ad Debita Regis Hisp. ex prioribus Pactis prognata. Rex fidem datam ut ſolveret, urſerant ſaepe OO. GG. additis a. 1661. minis de arreſtandis bonis Brabantinorum ex fideiusſione (83), niſi tres intra menſes fieret ſolutio. Pars ſoluta quidem (84); ſed de reliquis, durante bello cum Gallis, a. 1676. Ordines GG. WILHELMO (cum maxime Gubernatori) facultatem *Repreſaliarum* indulſerunt; quas ut evitaret Rex Hisp. a. 1677. M. Ian. nova intercesſit Pactio cum WILHELMO de ſolvendis debitis. Ortâ vero post Pacem Neom. a. 1678. inter Regem Hisp. et OO. GG. altercatione de tradendo Regi oppido Moſa-Traiecto, (§. LIX.) Respublica Regi oppoſuit haec Principis Arauſion. Debita ac Postulata, eaque iam tunc ad plus *f* 7,000,000. excrevisſe declararunt. Idem a. 1685. denuo urſerunt

(82) AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. X. p. 841. MONTANUS, *'t Leven van* WILLEM III. T. I. p. 73.

(83) AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. X. p. 822. T. XI. p. 319, 836. ſq.

(84) *l'Hiſtoire des Traités*, T. II. p. 93, 94.

runt OO. (85). Donec tandem a. 1687. d. 26. Dec. (n. 753.) ex ſpeciali Pacto, publice nondum edito, inter Regem Hiſp. et WILHELMVM III. de omnibus debitis hunc in modum convenit: Pactum cum Reg. Hiſp. a. 1687.

Ex §. I—VII. Rex aſſignat WILHELMO Princ. ad Vectigal Moſanum *f* 80000. annui Reditus, ex Federe a. 1651. promiſſos, augetque alia ſumma *f* 20000. Ad Domania Hiſpan. vel Indiae Occident. alios inſuper Reditus quotannis percipiendos aſſignat ad *f* 50000. Praeterea unâ vice, parata pecunia, ſolvet *f* 300,000. Et ſic exſtinctum foret omne Debitum *pecuniarium*.

§. VI. Ditioni *Meurſanae* Ducatus titulus procurabitur.

§. VIII, IX. Renunciat WILHELMVS iis bonis, quae, quamquam hodie iuris Gallici, ex Feder. tamen Monaster. §. XXIV—XXVIII. Rex Hiſp. ipſi debebat; ſalvo eo caſu, quo iterum fierent Iuris Hiſpan.

§. X. Contra haec operam dare promittit WILHELMVS III. ut bona fide Regi Hiſp. tradatur Moſa-Traiectum.

Sed §. XI. liber ab his promiſſis foret Princeps, ſi duos per annos negligatur pecuniarum ſolutio.

His ſtipulationibus Rex Hiſp. postea non ſtetit; ac propterea hoc ipſum Pactum ſaepe deinde implorarunt ipſi OO. Belg. Feder. aliique (86).

Prae-

---

(85) SYLVIUS, *vervolg op* AITZEMA, T. II. L. XXIII. p. 87*.

(86) Nimirum in *Pace Ryſvic.* a. 1697. §. VII. (n. 811.);

Digitized by Google

Praetereo hic mentionem Bonorum, quae WILHELMVS III. vel denuo acquiſivit, vel etiam in alios contulit, in his minoris momenti, uti *Soest*, *Baarn*, *'t Loo*, *Wernhout*, etc.

Wilhelmi III. mortui. §. CXXXIII. Sic ſe habebant bona Naſſau-Auriaca, quando a. 1702. moritur WILHELMVS III. Rex M. Britanniae, Princeps Auriacus, Belgarum Gubernator, nulla ex coniuge MARIA STVARTA, IACOBI II. Reg. Angl. filia, relicta Sobole.

Teſtamentum. Ex Teſtamento, a. 1695. d. 18. Oct. (n. 804.) condito, et magna ſollemnitate coram Curia Holl. a. 1702. d. 28. Apr. aperto (87), omnium Bonorum, tam *Feudalium*, quam *Alodiorum*, ex aſſe heredem ſcripſit IOHANNEM WILHELMVM FRISONEM, Principem Naſſau-Dietzanum, Friſiae Gubernatorem, avum WILHELMI V. cum maxime Guberna-

(n. 811.); in Pacto de *Belgio Hiſp.* transferendo in Electorem Bavar. a. 1712. d. 2. Ian. §. VIII. (n. 896.) in *Pace Traiect.* inter Reges Gall. et Boruſſ. a. 1713. §. X. (n. 914.) inter Belgas et Regem Hiſp. a. 1714. d. 26. Iun. Artic. ſepar. (n. 929.). Porro in Pacto *Diviſionis* Bonorum Arauſion. a. 1732. inter Regem Boruſſ. et WILHELMVM IV. Princ. Arauſ. (n. 1006.). Denique in *Pace Aquisgr.* cum Reg. Gall. a. 1748. (n. 1073.) Artic. Separ. cum OO. GG. literis Proteſtatoriis. Vtrum deinde huius debiti Expugnatio facta ſit, ignoro. At in nuperâ de Moſa-Traiecto cum Imper. Controverſia, de his, quod ſciam, alte ſiletur.

(87) *Groot Placaat-Boek*, T. V. p. 23. LAMBERTY, *Memoires*, T. II. p. 121.

natoris, agnatum ſuum ex *Linea Dietzana* proximum. Exſecutores Teſtamenti conſtituerat Ordines Belg. Feder. His vero Teſtamenti tabulis ſtare negabant illi, qui contendebant WILHELMVM III. non habuiſſe facultatem de omnibus promiscue bonis disponendi; ſiquidem his multa intereſſent bona, quae poſſederat vel ex formula Fideicommiſſi Familiae, vel ex aliis Familiae Pactis, vel ex Teſtamentis, deficiente maſculo herede, ad alios reverſura vel tranſitura.

Ex his larga Controverſiarum de ditiſſima illa hereditate materies; multi Proceſſus iudiciarii coram variis Tribunalibus, potiſſimum Hollandicis, ac Brabantinis; multa mandata exſecutoria; interdum etiam violentae occupationes.

§. CXXXIV. Quamvis bene multi eſſent competitores, tres tamen potiſſimum hic in cenſum veniebant. Bonorum Competitores.

1. WILHELMVS HYACINTHVS, Princ. Naſſau-Siegenſis. Is ex Teſtamento PHILIPPI WILHELMI, WILHELMI I. filii, a. 1618. d. 20. Febr. (n. 289.) tamquam ex IOHANNE SENIORE, Naſſavio, WILHELMI I. fratre prognatus, ius ſibi petiit, et ſollemni actu ſe in Principatum Arauſionenſem aliaque ſtatim immiſit, a. 1702. M. Nov. (n. 862.) (88).

2. FREDERICVS III. Elector Brandeburg., Rex

(88) Haec quo clarius de WILHELMO HYACINTHO intelligantur, ſeparato Schemate omnem Familiae nexum propoſui, TAB. D. iuncta TAB. C.

Digitized by Google

Rex I. Boruſſ. cuius pater ducta uxore LOVISA HENRICA, filia FREDERICI HENRICI (89), (WILHELMI III. Amita) ex huius FREDERICI HENRICI Teſtamento, a. 1644. d. 30. Ian. (n. 383.) ipſum IOHANNE FRISONE proximiorem heredem genuerat. Is a. 1702. d. 28. Mart. (n. 852.) exhibito et OO. GG. inſinuato *Libro Memoriali* ſe vocabat *de eenige wettige en univerſeele Erfgenaam* (90).

3. IOHANNES WILHELMVS FRISO, ab WILHELMO III. heres ſcriptus, proximus ex Linea Naſſau-Dietzana agnatus maſculus, ipſe natus ex altera FREDERICI HENRICI filia, WILHELMI III. Amita, ALBERTINA AGNETE; ſed et idem proximus *agnatus maſculus* ex Linea *Naſſau-Dietzana*, et Belgo-Friſius.

Regis Boruſſ. Acta. §. CXXXV. Ordd. Fedd., qua Exſecutores, in his medias partes agebant, et integrum cuique relinquebant, ea petere, quae iuſto probare titulo poſſent (91). Quum autem, Rex Boruſſ. nomine Vxoris multa, etiam per vim, tentaret occupatis Meurſae et Lingae Comitatibus; cauſſa per matrem Io-

(89) Pactum Nuptiale a. 1646. d. 7. Dec. DV MONT, *Corps Dipl.* T. VI. P. I. p. 354. AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. VI. p. 319, 332.

(90) Apparebit hic nexus ex adiecta TAB. C.

(91) Reſponſ. OO. ad Regem Boruſſ. a. 1702. d. 29. Maii, LAMBERTY, *Memoires*, T. II. p. 123. ſq. *Europ. Mercur.* h. a. P. II. p. 153. et JANIÇON, *Tegenw. Staat*, T. II. p. m. 97.

Digitized by Google

IOHANNIS FRISONIS, ad Curiam Holl. delata, ex Edicto retinendae Po ſſeſſionis (92), Rex Boruſſ. a. 1703. d. 3. Mart. (n. 865.) citatur coram Curia Hollandica. Indigne hoc tulit Rex. Magnis hinc animis plura deinde actitata; difficillimae OO. GG. fuere Deliberationes; multa varii argumenti edita ſcripta, (n. 863.). Proponit tandem Rex Boruſſ. a. 1706. totius Hereditatis duas in portiones ſectionem, Legibus, ut nonnullis viſum, ſat aequis (n. 874.). Sed res ſuſpenſa, donec ex ephebis exceſſiſſet Friſo. Hic dum in bello ſociali Belgarum in caſtris militabat, ab OO. GG. Hagam vocatus, ut urgente et praeſente Rege Boruſſ., erciſcundae familiae ergo adeſſet, aquis *Moerdicanis* ſubmerſus miſere periit, unica relicta filia a. 1711. ANNA, nupta deinde FREDERICO, Marchioni *Baden-Durlac.*, ſed et natus ei filius poſtumus, WILHELMVS h. n. IV.

Bonorum diviſio decreta.

Immatura haec Mors non impediit, quo minus OO., qua Exſecutores, Pactum inire decernerent, a. 1711. d. 28. Iul. (n. 892.) quo, praeter Bona iam a Rege occupata, et quae praeterea deſignabantur, omnia manerent in eodem ſtatu, donec aliter inter partes vel transactum vel iudicatum foret. Acquievit his Rex Boruſſ.; non adquievit uxor Defuncti; nec duae Provinciae his ſtare voluerunt (93).

De

(92) *Mandement van Maintenu.*

(93) LAMBERTY, *Memoires*, T. VII. p. 578. T. VIII. p. 208. ſq. JANIÇON, *Tegenw. Staat*, T. II. p. 101.

Digitized by Google

Amiſſus interim Princ. Arauſion.

De ipſo *Principatu Arauſionenſi* alia interim cura; ſuam enim rem ſtrenue agens Rex Gall. qua Dominus directus, hunc Principatum, deficiente herede maſculo, ad Fiſcum ſuum redire iuſſit; utile Dominium Principi de Conti tradidit a. 1703. d. 10. Febr. (n. 864.). Et valuit res, quidquid reniſi ſunt Heredes ac Competitores, in his WILHELMVS HYACINTHVS (94). Ex Transactione tandem Rex Boruſſ. a. 1713. §. X. (n. 914.) Regi Gall. ceſſit ipſum Principatum ac reliqua WILHELMI III. in Gallia bona; non tamen ſine ſollemni et publica complurium Competitorum interpoſita *Proteſtatione* (n. 918.). Et ſic, relicta tamen Regi Boruſſ. et WILHELMO IV. Friſonis filio facultate geſtandi *inſignia* et *titulos*, ipſe Principatus ex Decreto Regio a. 1714. d. 13. Dec. facta eſt *Pars Delphinatus* (*Dauphiné*).

Res ad effectum perducta.

§. CXXXVI. De reliquis bonis, poſt Diviſionem temporariam a. 1722., tandem a. 1732. d. 16. Iun. (n. 1006.) facta eſt ſollemnis inter WILHELMVM IV. et Regem Boruſſ. FREDERICVM WILHELMVM, de tota hereditate *Diviſio*, ex qua WILHELMVS IV. §. I—IV. renunciat iuri in Principatum Auriacum et alia bona Gallica, ſalvis titulo et inſignibus. §. V, VI. Rex Boruſſ. pro ſua portione ſortitur Principatum *Meurſenſem*, Comitatum *Linganum*, *Montfoort*, ac bona in Holl. nominatim *Zwaluwe*, *Naaltwyk*, *Wateringe*, *'s Gra-*

(94) LAMBERTY, *Memoires*, T. VII. p. 578. ſq. STRVVII, *Corp. Hiſtor. Germ.* p. 1476.

Digitized by Google

's Gravezande, etc. Vectigal Gennapiae ad Moſam, *Herſtal*, *Turnhout*; *Aulam* Hagae Com. (*'t Oude Hof*) et *Honslaarsdyk*, cum omni iure.

§. VII. Reliqua omnia iuris erunt WILHELMI IV. nominatim *Breedevoort*, *Zevenberge*, *Tsſelſtein*, *Diest*, *Sichem*, *Eindhoven*, *Rooſendaal*, *Nispen*, *Oosterhout*, *Dongen*, *Steenberge*, *Princeland*, *Kranendonk*, *Willemſtad*, *Geertruidenberg*, *Klundert*, Marchionatum *Veere* et *Vlisſinge*, *St. Martensdyk*, *Scherpenisſe*, *Colynsplaat*, Comitatus *Buranus*, *Leerdam*, *Acquoi*, *Grimberge*, *Meerhout*, *Voorst*, *Breda*, *Grave*, *Kuik*, *Wernhout*, *Vianden*, *St. Vithi*, *Daasburg*, *Warneton*, etc. Nec non Praedia *Dieren*, *'t Loo*, *Soestdyk*, *Neoburgum* prope *Ryswyk* (*'t Huis te Nieuburg*), et Palatium in Sylva Hag. (*de Oranjezaal*). Compenſatur dimidia portio *Herſtallenſis* Dynastiis *Monſter*, *ter Heide*, *Loosduine*, et Feudis Domus *Polanae*.

§. VIII, IX, X. Cavetur de Debitis ex Decreto OO. GG. a. 1711. d. 11. Iul. de reditibus, de titulis gerendis, et de praeſtanda evictione contra quoscumque, nominatim Princip. *Nasſau-Sieganum*, excepta ſola vi armorum.

§. XI, XII, XIII. Princeps WILHELMVS IV. in ſe ſuſcipit omne aes alienum; pro eoque illi conceduntur omnia *Postulata pecuniaria*, in his Reditus a. 1584. ab OO. Holl. et Zeel. FREDERICO HENRICO asſignati. Qui vero Reditus annui *f* 100,000. ad Vectigalia Moſae asſignati ſunt, ex iis habebit Rex *f* 80,000. WILHELMVS *f* 20000. Quidquid vero in his ab a. 1703. debetur, in commune dividetur.

§. XIV. Rex Boruſſ. apud Regem Hiſp. intercedet pro ſolvendo annuo Reditu *f* 50000. ex India Occid. et parata pecunia *f* 300,000. ſemel ſolvenda WILHELMO IV. ex Pacto a. 1687. d. 26. Dec.

Reliqua Capita §§. XV—XIX. ſpectant ad pretioſam ſupellectilem, ad Archiva et Literas, ad rogandos OO. GG. de tradendis quae hactenus miniſtraverant bonis ac documentis. Id quod perfectum est.

Post diviſionem. §. CXXXVII. Hic ſtatus Bonorum a. 1732. Principis WILHELMI IV. Familiae *Nasſau-Dietzanae* proſeminatoris, Gubernatoris in Belgio deinceps Generalis. Cui per nuptias cum ANNA, Regis M. Brit. filia a. 1734. non modo acceſſit penſio annua *f* 55000. ſed inſignis etiam dos ab Parlamento Anglico aſſignata ad *f* 880,000.

Incrementa, et Pacta Familiae Nasſ. Dietz. §. CXXXVIII. Sed et hic obiter videndum, quae deinde huic WILHELMI Familiae acceſſerunt Bona ac Principatus. Tria autem ſunt in illuſtri hac ſtirpe Nasſavica peculiaria.

1. Vt filiae ſemper ab hereditate *paterna publica* excludantur, aſſignata illis bonorum alodialium vel pecuniae portione ac dote.

2. Vt ad ſuſtentandum Familiae ſplendorem et vigorem ius primogeniturae in omnibus Lineis valeat.

3. Vt priſtinum Familiae Pactum originarium, iam a. 1255. inter duas Lineas *Ottonianam* et *Walramicam* initum, etiam nunc valeat in omnibus Lineis in vim fideicommiſſi Familiae, ut *Pactum ſucceſſorium perpetuum* et *reale*, ſalva tamen ſingulis Lineis peculiari ſua ſuccedendi lege, et exceptis ab hocce Pacto Bonis ſtirpis Arauſ. in Belgio ſitis.

Ex

Digitized by Google

Ex hoc Pacto, et *Condominio* inde introducto, noſtra aetate firmius adſtricto, factum eſt; 1°. ut quae Bona cum Belgica tum Germanica, tum alia, WILHELMVS SENIOR (TAB. B.) olim in duos distribuerat filios, illa iterum hoc ſeculo ad unum Principem devenerint. Hinc factum 2°. ut, quae bona et Domania per IOHANNEM SENIOREM (TAB. D.) (qui ex 25 liberis et 85 nepotibus, quos ex 3 Coniugibus habebat, *quinque* liberos masculos habuit ſuperſtites) in hos 5 liberos erant distributa, et unde prognatae erant 5 Lineae Naſſavicae ac Principatus ſeparati, *Dillenburg*, *Siegen*, (*Beilſtein*,) *Dietz*, et *Hadamar*; ea omnia bona, mirabili quadam fortunae viciſſitudine, et ſingulari felicitate, paucis ante annis quam Gubernator Belgarum creatus est, ad unum WILHELMVM IV. delapſa ſint, 1°. per obitum CHRISTIANI, ultimi Principis *Naſſau-Dillenburg*, unde a. 1739. ſibi adquiſivit Comitatus et Principatus *Dillenburg*, *Hadamar*, *Herborn*. 2°. per obitum WILHELMI HYACINTHI, Comitis *Naſſau-Siegani* ultimi, a. 1743. defuncti.

Ex Pacto nempe Convento inter WILHELMVM IV. et WILHELMVM HYACINTHVM, *Naſſau-Siegenſem*, eundem, qui WILHELMI III. hereditatem prenſaverat, antecedente a. 1742. WILHELMO IV. aſſignatus iam fuerat Principatus *Siegenſis*, ea lege, ut HYACINTHO, dum viveret, daret annuos reditus *f* 40000. Illo vero paullo post a. 1743. defuncto, pleno iure omnia Domania *Naſſau-Siegenſia* obtinuit. Quamquam deinde MAXIMILIANVS WILHELMVS ADOLPHVS, huius HYACINTHI, ex fra-

tre EMANVELE IGNATIO, ut haberi volebat. nepos, hunc Principatum *Siegenſem* adverſus WILHELMVM IV. ſibi vindicare conatus est; ſed ex ſententia ſupremi Conſilii Imperii Aulici a. 1746. d. 5. Oct. (n. 1047.) repulſam tulit, cuius qui hodie ſuperest filius Princeps *Naſſau-Sieganus* (95), rebus ad Gibraltar et in Expeditionibus Ruſſicis gestis clarus ac celeber, in Aula quidem Caeſarea petiit, ut ſibi pro Tribunali concedatur *Reſtitutio in integrum.* Admisſa est eius *Petitio*, quantum ad formalia. Sed et ab hac ſententia *Reviſionem* petiit Princeps WILHELMVS V. cuius res cummaxime agitur.

Princeps Naſſau-Siegen.

Alia Bona.

Acceſſerunt et alia, etiam in Belgio, Bona.

1. *Comitatus Cuilenburgenſis.* Hunc Ordines Tetrarchiae Neomag. in Gelria a. 1720. certa emtum pecunia ab posteris Comitis de *Waldek*, WILHELMO IV. Gubern. eiusque heredibus a. 1748. dono dederunt, cum omni iure, etiam ſummi Imperii (96). Proſtant Tabulae Translationis et ſollemnia Inaugurationis (n. 1079.). Fueritne haec Ditio *Feudum Gelricum*, an *Hollandicum*, an vero commune cum Traiecto Feudum, olim disceptatum.

2. Il-

(95) Quo melius haec intelligantur, ſeparatim TAB. F. adieci Stemma Genealogicum deſinentis ſtirpis *Naſſau-Siegenſis*, cum adiecta rei gestae narratione, ex Actis Authenticis: quod neſcio an usquam proſtet.

(96) Vnde fides illi iuratur Belg. *aan hun Souvereinen wettigen Graaf en Overheer.*

Digitized by Google

2. Illa omnia, quae Rex Boruſſ. a. 1732. ex Pacto Diviſionis in Hollandia ſibi comparaverat, Bona ac Domania, Princeps ANNA, Belgarum Gubernatrix, WILHELMI V. mater et tutrix, emto ſibi comparavit a. 1754. (n. 1105.) ſumma *f* 705000.

Mitto quae hoc ſeculo ipſi Familiae Dietzanae acceſſerunt alia in Belgio Bona, uti *Ameland* §. CVII. *Montfoort* §. LXX. quaeque WILHELMVS IV. et V. deinceps, etiam a. 1788. et 1789. ex emto aliisque titulis, ingentibus pecuniae ſummis in Germania, ſibi compararunt in bonorum reliquorum augmentum.

§. CXXXIX. Memorari hic mererentur et aliae Controverſiae, quae *Territoriales* poſſint videri. In his eminet Marchionatus *Verae* et Dominium *Vliſſinganum*. Pristinae Controverſiae in Belgio.

Haec Bona et Dominia a. 1581. ex emto ſibi comparavit WILHELMVS I. pro ſumma *f* 168,600. eaque per heredes legitimos ad WILHELMVM III. devoluta, ex teſtamento pervenere ad IOHANNEM WILHELMVM FRISONEM, cuius filio WILHELMO IV. ex Pacto Diviſionis a. 1732. ſunt aſſignata. Aſt eodem quo haec Diviſio inſtituta eſt anno, OO. Zeel. ſub *titulo Dominii Eminentis*, hunc Marchionatum nexu vaſallitico ſolutum ſibi vindicarunt (97), oblata et in menſa Medioburgenſi nummularia depoſita ſumma *f* 250,000. quam tamen Prin-

(97) De quo iam actum a. 1703. Vid. LAMBERTY, *Memoires*, T. III. p. 748. ſq.

Princeps recuſavit (n. 1008.); negavit etiam exſtare eiusmodi causſas, quae ius darent hoc utendi Dominio Eminenti. Sed rebus et animis a. 1747. permutatis ademta haec Dominia ſunt reſtituta, et ſollemnis Investitura a. 1747. d. 16. Maii (n. 1054.) ſecuta est.

Taceo de Comitatu *Burano*, *Yſſelſtein*, *Leerdam*, aliasque Controverſias. Haec enim Principis Bona ac Domania, quum per Hollandiam ceterasque Belg. Regiones ſparſa iaceant: fieri per humanam prudentiam vix potest, quin aliquando naſcantur, vel cum *Ordd. Federatis*, vel *Provincialibus*, vel cum privatis *Corporibus* civibusve privatae Controverſiae; veluti de *territorio exemto*, de *iurisdictione*, eius ſequelis, de *Feudis*, de *tributis*, etc. de quibus posterioribus, (ut hoc utar) Rex Boruſſ. a. 1705. querelas ad OO. Holl. detulit, ratione bonorum, quorum ſe heredem tunc temporis ferebat.

In Germania et alibi.

§. CXL. Aliae in Republ. quaeſtiones agitatae fuerunt de bonis, quae hodie Iuris ſunt *Borusſici*, olim Familiae vel *Arauſiacae*, vel *Dietzanae*; quales erant de Reditibus Iuliacenſibus; cuius causſae patrocinium olim ſuſcepit Vir. Ill. HVGO GROTIVS (98). De Comitatibus *Meurſano* et *Lingano*; de Dynastiis *Herſtal*, *Turnhout*, etc. Mitto

(98) WILHELMVS FREDERICVS PISTORIVS, *Amoen. Hiſtor. Jurid.* P. III. p. 162. CHRISTOPHORVS HERMANNVS SCHWEDERVS, *Theatr. Hiſtor. Praetenſ. et Controverſ. Illustr.* T. II. p. 297.

Digitized by Google

to etiam Principis *titulos*, *arma gentilicia*, inſignia *Honorum* et *Ordinum*.

§. CXLI. Regem *Boruſſiae* excipiunt alii Electores et Imperii Principes, de quibus obiter in antecedentibus mentio facta est. Cum Electore *Colonienſi* olim controverſia de oppido *Rynberk*. Cum *Palatino* de *Raveſteinio*, *Limburgo*, et nostra aetate de Rheni fluvii *Commercio*, confiſcatis Mercibus Palatinis, ac ſuſpenſa navigandi libertate, per interventum Electorum Colon. et Trevir. amice compoſita; deque limitibus ad agrum *Valkenburg*. a. 1785. Cum Episcopo *Leodienſi*, de *Huio Castro*, de *Rochette*, de *Tributis*, de *aggere* ad Moſam *Ophovenſi*, et alia, quae levioris momenti videri posſent, interdum tamen magnis animis acta ſunt vel aguntur. Electores alii.

§. CXLII. *Ordo Equester Teutonicus ſeu Sanctae* MARIAE *Hieroſolimit*. Misſis huius *Ordinis* Hiſtoria, fatis, bonis, magisteriis, obſervo duntaxat, undecim illis *Balivatibus* ſive Praefecturis, in quas diviſus hic Ordo est, ab exteris adhuc accenſeri *Balivatum* ſive Praefecturam *Traiectenſem ad Rhenum*, *ob Commendarum*, quas vocant, *multitudinem et ob redituum opulentiam haud postremam*. Sic certe Vir. Ill. IMHOFF (99). Ordo Teutonicus.

Quidquid vero hoc est, negant id Belgae; ſed compoſita tandem est Controverſia de Pago et Dynastia *Gemert*, ſita in Brabantia iuris Feder., vulgo Pagus Gemert.

---

(99) IMHOFF, *Notit. Procerum Imper. Rom. Germ.* P. I. p. 111.

Digitized by Google

go *de Commandery van Gemert.* Hanc ſibi poſtulabat a. 1648. LEOPOLDVS Archidux tamquam Supremus Ordinis Teuton. Magiſter. Lis coram Curia ſuprema Holl. diu pependit (100). Ex Compromiſſo tandem per Arbitros finita, a. 1662. d. 14. Iun. (n. 535.). Declarant OO. Belg. Pagum eſſe liberam Imperii Germ. Dynaſtiam, et Ordini Teuton. ſummum ipſius Imperium cedunt pro *f* 400,000. ſalvo quidem iure appellandi ad Tribunal *Sylvaducenſe*, ac libertate Religionis reformatae; ſed manente iure *Patronatus* penes Ord. Teuton. Alia in Transiſalania de ipſis bonis actitata (n. 548.).

Ordo Maltenſis. §. CXLIII. *Ordo Militaris* ST. IOHANNIS *Hieroſolim.* (hodie *de Ridder-Orde van Malta*). Vt alibi, ita in Belgio paſſim *hic Ordo* ditiſſima poſſedit bona et iura. Recenſentur omnia in *Libro Memoriali* a. 1712. (1), in *Gelria*, *Hollandia*, *Zeelandia*, etc. Sunt ea durante pro libertate bello, (quod Bonorum Eccleſiaſticorum fatum erat) vel divendita, vel multorum per manus dilapſa, vel urbium Domaniis adſcripta. Saepe tamen ab Ordine expetita et repetita. Sub Inducias ab Ambroſio Spinola res ſtrenue acta eſt (2). Inita *Pace Mo-*

(100) WICQVEFORT, l'*Hiſtoire des Provinces-Unies*. p. 110. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XII. p. 26.

(1) LAMBERTY, *Memoires*, T. VII. p. 266.

(2) SIM. GABBEMA, *Epiſt. Clar. Viror.* Cent. II. n. 83. p. 725. ſqq.

Monaſterienſi, cuius §. XLIII. de bonis Eccleſiaſticis cautum est, Legatus Ordinis Maltenſis illa repetens, minus honeste est remiſſus (3). Acrius deinde inſtiterunt Maltenſes (4); Ordines Hollandiae, exemplo praeëuntes, ſeparatim transegerunt, a. 1663. ſqq. et bona in Holl. in primis in Harlemo ſita compenſarunt ſumma *f* 150,000. operamque promiſerunt, ut in reliquis idem fiat provinciis. De his varia deinde fuere conamina, a. 1674. in Pacis Gallicae, et a. 1712. in Pacis Traiect. Tractatione (5); in Gelria Arnhemiae Bona Ordini Maltenſi ſunt adiudicata (6); in alia omnia iverunt OO. Traiectini (7).

§. CXLIV, *Comitatus Benthemienſis*. Et huius Comitatus rixis immixti non ſemel fuerunt OO. Belg. Prima vice a. 1668. ex controverſia inter ERNESTVM WILHELMVM, Religionem Rom. Cath. Comitum Benthem. variae rixae.

(3) WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XII. p. 28. ſq. et WICQUEFORT, *l'Hiſtoire des Provinces-Unies*, L. II. p. 114.

(4) Quae huc faciunt, vid. WICQUEFORT, *Hiſtoire des Provv. Preuv.* p. 354—358. AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. X. p. 40, 366, 870. T. XI. p. 519, 546, 581. DE WIT, *Brieven*, in Indice, Voc. MALTA.

(5) LAMBERTY, *Memoires*, T. VII. p. 266.

(6) WICQUEFORT, *l'Hiſtoire des Provinces-Unies*, L. II. p. 113.

(7) A. MATTHAEVS, *Anal. Med. Aev.* T. V. p. 951. ſqq.

Cath. publice amplexum, et eius Vxorem, honeſta magis quam nobili ortam familia, eiusque liberos, adhuc infantes. Erat inferior Benthemii pars, quae oppida *Schutdorp* et *Nieuwenhuis* complectebatur, Feudum *Transiſalanicum;* Episcopus Monasterienſis, conſentiente *Comite*, praeſidium militare Arci imponit; uxor Relig. Reform. infantes Hagae Com. occultat; ipſa invita ab marito abducitur. Repetit maritus liberos ab OO. Belg. et eorum Deputatos repellit. Vxor mendicantis habitu cum infantulo et altrice Daventriam aufugit; aegrotans ab OO. Feder. tutores rogat, impetrat; prae moerore obit, et quum parens, ſecundas post nuptias, hos liberos exheredare cogitaret, intercesſerunt OO. Diremta demum a. 1691. contentio est.

Alia a. 1693. inter defuncti Comitis liberos et fratris filium ſcriptum heredem controverſia, intercedente WILHELMO III. Rege M. Brit. et Gubern. Belg. compoſita. Exſtat ſententia Arbitralis a. 1701. d. 11. Nov. (n. 849.) atque OO. Belg. pro ea *fideiusſio* ſeu *Garantia*, a. 1707. d. 12. Febr.

Dignum hîc obſervatu est, Comitem Benthem., aere alieno laborantem, Comitatum ſuum omni cum iure oppignerasſe Regi M. Brit., qua Electori Hanover. in 30. annos.

Mitto alia.

CAPVT TERTIVM.

SISTENS

FEDERA REIPVBLICAE, QVAE BELLI, PACIS, AMICITIAE, AC DEFENSIONIS NEGOTIA MODERANTVR.

Reipubl. nexus cum exteris.

§. CXLV. Nulla est in toto terrarum orbe, et hoc praefiscine dixerim! Regio, cui pro territorii tenuitate tot tantaque Negotia, et nunc et olim, cum exteris Principibus intercesſerunt, quot Reip. Belgicae. Variae huius asſerti *probationes*, ſimul et rationes, diverſis ex fontibus hauſtae, exhiberi posſunt. Sed quidquid hoc est, ex iis, quae in *Introductione* occupavi, et ex Europae ſtatu publico ad Belgicum applicato, p. 20. ſqq. disſerui, ſatis apparuit, Reipublicae Federatae ab primis inde incumbulis ſemper ingentem habitam esſe reverentiam, eique honorificum inter primas Europae Gentes asſignatum esſe locum. Quamquam vero labente tempore, per bella, ſive ex *vicinia*, ſive ex *aemulatione*, ſive ex fideli et honesta mutuae defenſionis et auxilii *praeſtatione*, ſive ex *mercaturae* et *navigationis fervore*, *odio* vel *invidia*, neces-

ceſſario geſta, quae paullatim Reipublicae vires et aeraria exhauſerunt; haec eius dignitas decreſcere viſa eſt, et Reſpublica, poſt pacem in primis Traiectinam a. 1713. quidquid bellandi materiem dare poſſit, anxie ſemper evitavit, ac deinceps non niſi ſemel et graviſſima de cauſſa, ex fide de *Sanctione Pragmatica* ſervanda, bello inopinato a. 1747. implicita fuit: manſit tamen et hodie tantus eius honos, et tam inſignis apud populos exiſtimatio, ut, quum per atrociſſima nuper inteſtina diſſidia, conflato cum Anglis bello, aliisque accedentibus calamitatibus, diſcordiae ſequelis, totum Reipublicae ſyſtema labaſcere videretur, reſque eo fere redacta eſſet, ut Vinculum Federis Traiectenſis, tanta cum cura conſtrictum, penitus diſrumperetur; duo potentiſſimi hodie Reges labanti Reipublicae auxilio accurrerint, motus exortos compeſcuerint, et ad vindicandam externam Reipubl. libertatem, tum et Leges internas Fundamentales et formam Regiminis ſartas tectas conſervandas (n. 1264, 1268, 1269.) ſeſe obligaverint.

Digna igitur res, ut, quis Reipublicae ab prima aetate cum gentibus exteris nexus ſit fueritve, accuratius contemplemur. Dicam igitur hoc Capite ea Federa, quae *Belli*, *Pacis*, *Amicitiae*, *Defenſionis*, et id genus alia negotia, moderantur; quae vero ad *Mercaturam*, *Piſcaturam*, ac *Navigationem*, directe magis ſpectant, ſq. Cap. tractabo.

Ducto autem *ordine* ab maiori Gentium proximitate ſimul et graviori rerum cum his geſtarum pondere, initium faciam ab Regibus *Galliae*.

FE-

FEDERA BELLI, PACIS ETC. CVM REGIBVS GALLIAE.

§. CXLVI. Iam antiqua per mediam ſeculorum barbariem inter Belgas, certe Hollandos, Zeelandosque, et inter Gallos fuit conſociatio. Exſtat a. $12\frac{95}{96}$. d. 9. Ian. (n. 5.) Fedus Offenſivum et Defenſivum inter PHILIPPVM PVLCRVM Regem Galliae et FLORENTIVM V. Comitem Hollandiae et Zeelandiae, idque peculiari *ex cauſſa*. Antiqua cum Gallis Federa.

Poſtquam vero Principes Burgundiae Hollandiae Zeelandiaeque Ditiones nacti ſunt; longe maior acceſſit cum Gallis neceſſitudo. Multa etiam ex vicinia, et potentiae aemulatione, fuere disſidia, bella, et inſecuta Federa; unde varia iura et obligationes nata. In his ſub Burgundis, qui ſimul Hollandiae, Zeelandiaeque fuere Principes, maxime memorabilia,

Fedus Atrebatenſe, a. 1435. d. 21. Sept. (n. 42.). Sub Burgundis.

Fedus Confluentinum, a. 1465. d. 5. Oct. (n. 65.).

Fedus Peronnenſe, a. 1468. d. 14. Oct. (n. 70.).

Fedus Atrebatenſe, a. 1482. d. 23. Dec. (n. 82.).

Fedus Sylvanectenſe (*Senlis*) a. 1493. d. 23. Maii (n. 87.) et alia, a. 1498. d. 22. Iul. (n. 91.) a. 1504. d. 22. Sept. (n. 96.) omnia quidem ante CAROLI V. tempora; quae, praeterquam quod multa isti aevo peculiaria et ſcitu digna complectantur; potisſimum ſpectant ad Pacta inter Principes *nuptialia*, ad arctiorem *amicitiam*, ad libertatem *Commercii* et *Navigationis*. Dignum etiam memoria eſt, quod in Federe a. 1482. d. 23. Dec. (quod 92. Art. conſtat) §. LXXVII. in favorem ſubditorum utrimque concedatur libe-

berum *ius piſcandi*, *navigandi*, et *mercaturam agendi*.

Sub Auſtriacis. §. CXLVII. Sub CAROLO V. qua XVII. Regionum Principe, etiam ante quam Regnum Hiſpan. et Imperatoriam dignitatem adeptus est, initum est Pactum Nuptiale a. 15 14/15. d. 24. Mart. (n. 103.) quo ſimul obiter cautum de *libera terra marique Mercatura* et *de mutuo adverſus hostem communem auxilio*. Et haec quodammodo inſtaurata ſunt a. 1516. d. 13. Aug. (n. 105.).

Orto vero inter CAROLVM Imper. et FRANCISCVM I. Galliae Regem bello, illud obſervari debet ſingulare, quod, bello durante, hortatu Regis Angliae, inter ſe convenerunt Principes *de libera halecis piſcatione* ſubditis concedenda, a. 1521. d. 2. Oct. (n. 106.). Hoc in bello Rex Galliae, captus, relaxatus non est, niſi post initam per Regis captivi matrem cum *Angliae Rege* Confederationem a. 1525. d. 30. Aug. (n. 109.) qua itidem de libero cavebatur commercio ac piſcatura; quum poſt ſociatas a. 1525. d. 14. Iul. (n. 108.) *Inducias* ſemestres, quibus idem ſancitur, *Fedus* iniit *Madritenſe* famoſum duris *conditionibus*; iniit tamen a. 15 25/26. d. 14. Ian. (n. 110.). Cui quum cuſtodia ſolutus Rex ſtare recuſaret, (quo iure, alia quaeſtio est) durante idcirco quodammodo ſtatu bellico, tandem initis primo inter CAROLVM, FRANCISCVM, et HENRICVM, Regem Angliae, 8 menſium Induciis a. 1528. d. 15. Iun. (n. 111.) *Pax Cameracenſis* a. 1529. d. 5. Aug. (n. 112.) coaluit. Hae Induciae, et ipſa Pax, quanto, ut alibi, ita praeſertim in Hollandia, gaudio excepta ſit, docent *Acta Hollandiae*, quae istius

aevi

Digitized by Google

aevi ſuperſunt, *Publica*. Nec mirum! Praeter belli incommoda exſtinguebatur non modo ex §. xx. *Ius Albinagii* (8) inter ſubditos, ſed et confirmabantur reliquae *Pacis Madritenſis* Conditiones de mutua *piſcandi*, *navigandi*, *mercandique* libertate, quae Belgis iam tunc maximopere curae cordique erant.

Inter Gallos deinde et Imperatorem CAROLVM, Belgarum Dominum, ac filium PHILIPPVM, ſempiterna fere odia, ſimultates, bella. Post initas Inducias ſeu Pacem Nicaenam ad 10. annos a. 1538. d. 18. Iun. (n. 119.), factoque interim inter CAROLVM V. et Regem Angliae, HENRICVM VIII. Federe, alia ex cauſſa, adverſus Gallos offenſivo, a. 15$\frac{42}{43}$. d. 11. Febr. (n. 121.) nova iterum Pax coaluit *Creſpienſis* a. 1544. d. 18. Sept. (n. 129.). Sed etiam ex Pace *Madritenſi* nondum omnia pacata. Succeſſerunt igitur aliae Induciae quinquennales, a. 15$\frac{55}{56}$. d. 5. Febr. (n. 139.) et ipſa Pax *Caſtello-Cameracenſis*, a. 1559. d. 3. Apr. (n. 140.), qua iterum *Mercaturae Libertas* confirmata est.

Sub Rege Philippo cum X. Provv.

§. CXLVIII. Omitto, quae, factâ tandem inter X. et VII. Regiones Belgg. ſeceſſione, Reges Gall. et PHILIPPVS Rex Hiſpan. pro ſe ac X. reliquis Ditionibus inierunt Federa, quippe quae minus Reipublicae cordi fuerunt (9). Alia ac maioris mo-

---

(8) De hoc iure et eius hiſtoria in Belgio ex Federibus dicam CAP. VIII.

(9) Recenſentur in: *l'Hiſtoire des Traités*, T. I. p. 573. ſqq.

Digitized by Google

momenti foret controverſia, utrum, abdicato a. 1581. Rege Hiſpan. priora, quae ſupra recenſui, Federa, quatenus commoda ſtipulantur perpetua, deinceps in Republica libera valuerint?

Sub libera Republica.

§. CXLIX. Poſt eiuratum Regem duplex Belgarum Federatorum cum Rege Gall. Epocha eſt obſervanda, *ante* et *poſt* Pacem Monaſterienſem.

Ante Pacem Monaſterienſem.

Omiſſis hic Pactis inaequalibus, quibus Ordines Belg. GG. a. 1580. FRANCISCO, Duci Andegavenſi, Regis Galliae fratri, ſummum Imperium obtulerunt, et a. 1582. confirmarunt, nec non quae poſt obitum WILHELMI I. a. 1584. Belgae ſtipulari, ſed fruſtra, conati ſunt de ſumma in Belgas poteſtate: quippe quae magis erant *Clientelae* et *Subiectionis*, quam *aequalia* liberas inter gentes Pacta: de quibus ſupra §. XXIII. ſqq.

Federa inaequalia.

Aequalia. a. 1596.

§. CL. Primum quod *aequale* dici poteſt Fedus, quo adverſus hoſtes Hiſpanos mutua defenſio, mutuaeque ſuppetiae promittuntur, initum eſt a. 1596. d. 31. Oct. (n. 214.) coniunctim cum Anglis: in eo ſeparatim ſtipulantur §. VII, VIII, X, XIII. liberam *Navigationem* et *Mercaturam*, earumque adverſus quoscumque alios defenſionem; nec non veterum Pactorum de his confirmationem. Neque tamen diu hoc Fedus duravit. Quamquam enim convenerat, ut ne Pax fieret *niſi communi ſuffragio*, Rex Gall. ſua intereſſe opinatus, ut Hiſpanos haberet amicos (10), ſeparatim cum Rege Hiſpan.

Quod infringitur.

(10) Cauſſas referunt Hiſtorici. Add. MAXIMILIA-

pan. a. 1598. d. 2. Maii (n. 219.) *Pacem* iniit *Vervinenſem*, qua Belgas non amplius ſuſtentare promittit. Conqueſti ſunt Ordines. Sed reſponſum ferunt, poſſe nihilominus et velle Regem colere Belgarum amicitiam, eosque, ſub debiti ſolvendi nomine, opibus et copiis clam ſuſtentare. Et profecto! quidquid ipſo etiam *Federe Vervinenſi* fuerit promiſſum, inſignia post id tempus exſtiterunt Regum Galliae erga Belgas merita, auxilia, et pacis cum Hiſpanis promovendae adiumenta.

§. CLI. De his abunde conſtat: Rex Belgas varie iuvat.

1. Ex ingenti copia Federum ſeu *Pactorum Subſidiariorum*, ex quibus Rex Gall. plures per annos Belgas ingentibus pecuniarum ſummis adiuvit.

2. Ex promiſſis Reipubl. Belgicae adverſus Hiſpanos copiis, aliisque auxilii ferendi modis, quibus, ſi non *Pax*, certe *Induciae* promotae fuere a. 1609. quo pertinent omnia fere Legati IEANNINI Acta et ſcripta (11).

3. Ex iis, quae his aliisque Feder. ſuperadiecta habentur, ratione Libertatis *Mercaturae* et *Navigationis*. De quibus CAP. IV.

§. CLII. Quantum ad prius; de immenſis pecuniae ſummis teſtantur ipſa Federa, de quibus ſta- Pecuniis.

LIANI DE SULLY, *Memoires*, T. III. p. 197. ſqq. Ed. a. 1767. NENY, *Memoires*, T. I. p. 54.

(11) Add. GROTIVS, *Hiſtor.* L. XVII. p. 533. et *Hiſtoire des Traités*, T. I. p. 333.

Copiis. ſtatim. Quod ad promiſſas copias aliaque ſubſidia, Rex Gall. a. 1603. magis aperte Belgarum, ſi non cauſſam, certe conamina Hispanos arcendi a finibus adiuvit, inito clam Federe cum Anglis d. 30. Iul. (n. 231.) de Belgis adverſus Hiſpan. copiis et pecuniis ſuſtentandis. A. 1608. d. 23. Ian. (n. 242.) Belgis operam dare pollicebatur, ut Pax aequa et firma coiret: ubi coiiſſet, mutui auxilii foret promiſſio adverſus quoslibet hoſtes; neuter

Conſiliis. vero ſine *altero* paciscatur; *Commercia* denique §. x. aequo pede exerceantur. Idem paullo post pro ſervandis *Induciis* (n. 253.) promiſſum.

Etiam post. Inducias. §. CLIII. Neque ab his post finitas a. 1621. Inducias discedunt reliqua Federa inde ab a. 1624. usque ad a. 1645. (n. 308, 326, 327, 331, 332, 335, 347, 348, 352, 357, 359, 362, 363, 364, 371, 372, 376—379, 380, 381, 384—386, 390, 397—399, 401.). In his omnibus inſignia promittuntur ſubſidia pecuniaria, aliaque auxilia, vel contrahuntur invicem efficaciores obligationes: idque eo fine, quo alacrius Belgae in bello cum Hiſpanis gerendo perſeverarent. Praeter haec tamen generalia inſunt hic illic nonnulla ſingularia;

Singularia nonnulla. 1. Conceſſa diſerte Rom. Catholicis facultas Religionis exercendae in Palatio Legati Regii Hag. Com. a. 1624. (n. 308.)

2. Libera navium hoſtilium perſecutio ad iactum tormenti bellici, a. 1627. (n. 326.).

3. Promiſſio de Pace non ineunda niſi *communi conſenſu*, a. 1627. (n. 326.).

4. Honor navibus Regiis ab Belgis habendus (CAP. VIII.).

5. In primis obſervatu dignum est Fedus de *partien-*

tiendis ſeu dividendis Provinciis Hiſpanis, niſi ipſi Belgii Hiſpan. Proceres Rempublicam erigere liberam, et Regi Galliae iuxta et Ordinibus Federatis, aliquam certe Territorii partem concedere mallent: ortaeque hinc plures ac diverſae de *aperto bello* per Gallos inferendo ſtipulationes, mutuique auxilii promisſiones ad expugnandas illas regiones, et Hiſpanos procul ab finibus removendos, a. 1634. d. 30. Maii et a. 1635. d. 8. Febr. (n. 346, 347.) quod poſterius cum adiectis de communi exercitu miniſtrando, et *ſecretis* articulis (n. 349, 350.) iccirco vero nomine dictum (*une Ligue où Confederation Offenſive & Defenſive*) Fedus *belli communis ad expellendos ex Belgio Hiſpanos* (12). Sed exitus fuit inauſpicatus! Diviſio Belgii Hispanic.

§. CLIV. Nec tamen deſiit Rex pecuniis ſuſtentare Belgas: quo pertinent reliqua Pacta Conventa ſupra laudata ab anno 1636. d. 6. Sept. (n. 357.) usque ad a. 1646. d. 11. Iul. (n. 401.) in quibus omnibus dominatur eadem cauſſa, idem conſilium ac ſcopus, ut Belgae adverſus Hiſpanos pecuniis ſuſtententur, quo bellum continuarent, et Hiſpanas vires frangerent.

§. CLV. Neque ſuo etiam tempore Reſpublica Gallis defuit, misſa claſſe navium 20. bellicarum ex Pactis a. 1624. d. 24. Dec. et a. 1625. d. 12. Apr. (n. 312, 314.) adverſus *Genuam*, qua et ipſam Belga Gallos iuvat.

(12) Quae de iniuſtitia Gallorum tunc fuerint Regis Hiſpaniae querelae, exponit AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. IV. ad h. a.

Digitized by Google

ipſam Vrbem *Rupellas*, (*Rochelle*) Regi rebellem oppugnat. Quod et Reipublicae *magno* conſtitit.

Belgarum ſuſpiciones.

§. CLVI. Postquam vero lapſu temporis ſatis manifesto Belgis apparuit, Regem Galliae occulte omni inhiare *Belgio Hispan.*, neque aliam ipſi mentem eſſe, quam, ut Belgas iuvando, ſub amicitiae et auxilii ſpecie, Hispanos attenuaret, ſibique Belgium Hisp. vindicaret; (n. 395. cf. §. XXXVII.) unde ipſe bello implicitus *Cataloniam* ab hac, et aliquot Vrbes Belgicas ab illa parte, iam occuparat: Ordines Feder. mutatis ſubito conſiliis, ad *Inducias*, deinde ad ipſam *Pacem*, cum Hispanis proniores; haud exſpectato Rege Galliae, moras nectente, et haec Belgarum conſilia, variis modis, via etiam obliqua per Fedus ſic dictum *mutuae Garantiae* a. 1647. d. 29. Iul. (n. 413.) intervertere fruſtra conato, maturarunt *Pacem Monasterienſem* a. 1648. d. 30. Ian. ſuamque ſine ipſo Libertatem plenam asſeruerunt; indignante tamen Rege, Belgisque id ſaepe, immo adhuc a. 1661. exprobrante; an ſatis ex aequo (13)? manente ipſo inter Gallos et Hispanos bello usque ad Pacem Pyrenaeam a. 1659.

Pacem Monasterienſem properant.

Rex iratus.

Metus ab Gallis.

§. CLVII. Post Pacem Monasterienſem longe alia ſcena et rerum facies aperitur; ac vere dici poteſt facta cum Hispan. Pace Belgas omni caruiſſe cum Gallis Federe (14). Ex hoc tempore ab nimis

(13) Conf. *'t Leven van* WILLEM II. *Stadhouder*, p. 293. et 303.

(14) De Federe *Commercii* a. 1646. d. 18. Apr. ad *Quadriennium* inito dicam CAP. ſq.

Digitized by Google

mis increſcenti Gallorum potentia ac vicinia maior eſse metus coepit. Quot vero inde rixae, contentiones, ſuſpiciones, immo bella, exorta, et quae conamina ad obtinendum ac conſervandum adverſus Gallos Propugnaculum (*Barriere*), dixi CAP. II. Superest, ut Bella et Federa aliis potisſimum ex causſis nata, recenſeam.

Obducto nempe paulisper vulnere Rex priora Federa inſtaurare conabatur. Sed durante ipſius cum Hispanis bello, Ordines Belgg. Republica vixdum conſtituta, bellando fesſa, et inito a. 1650. (n. 434.) cum Hispan. Federe Commercii; his ſe denuo immiſcere gravabantur; oblata etiam Pacis intercesſio a. 1650. d. 5. Sept. effectu caruit. Varia deinde acta.

§. CLVIII. Hoc rerum ſtatu vix credibile videri potest Pactum ſive ſtipulatio quaedam, quam WILHELMVS II. Princeps Auriacus et Belgii Gubernator cum Regis Gall. Legato a. 1650. d. 20. Oct. clam iniisſet *de invadenda ſibique obtinenda Antverpia* (n. 432.). Videtur anſa arrepta ex priori Pacto a. 1646. d. 11. Iul. (n. 401.) cum Principe Auriaco et OO. Deputatis de *Antverpia* ſubito impetu occupanda. Reliqua odio in Principem post eius mortem accenſo danda videntur. Wilhelmi II. Pacta cum Gallis. An vera?

§. CLIX. Orto a. 1652. cum Anglis bello viſi ſunt Belgae proniores ad Fedus cum Gallis, ſed propter novas difficultates de extendenda limitum *Garantia*, *deque pace* cum Anglis non niſi Regis Gall. conſenſu ineunda, ſignatis iamiam praeviis per BOREELIVM Legatum Conditionibus, Ordines hoc Fedus (n. 446.) ratum habere detrectant. An melius post Pacem cum CROMWELLO ſuccesſit tentata accesſio OO. Belg. ad Novi Federis conamina.

Fedus *Gallos* inter et *Anglos*, a. 1655. d. $\frac{3}{13}$. Nov. (n. 472.) durante cum Hiſp. bello, cui BOREELIVS ſeparato Articulo a. 1656. (n. 473, 475.) ſubſcripſerat?

Galli vexant Belgas.

§. CLX. Eodem anno parum abfuit, quin ob turbatam ab Gallis Belgarum Mercaturam Respublica cum his collideretur, captis brevi tempore ad 328 navibus Hollandis. Decernuntur per OO. *Represſaliae* (n. 474.); promulgantur Edicta utrimque prohibitoria de non *exportandis Mercibus*, de *navibus arresto detinendis*, a. 1657. d. 26. Apr. et d. 11. Maii (n. 483.) ſed opera Legati THVANI omnis Controverſia Declarationibus ultro citroque datis a. 1657. d. 17. Aug. (n. 487.) amice transacta est, ita ut, dum de *Commercii Federe* ageretur, ad tempus obſervaretur *Fedus Hanſeaticum* cum Rege Gall. a. 1655. d. 10. Maii (n. 469.).

Alia Acta.

§. CLXI. Orto inter Danos et Suecos bello initum est Pactum Gallos inter et Anglos, a. 1659 d. 21. Maii (n. 500.) de Pace inter bellantes conciliand a; ad quod Belgae acceſſerunt (n. 502, 503.). Eodemque anno Pax Pyrenaea coaluit (n. 507.). Ex hac Pace Rex Gall. Belgis eadem Mercandi Privilegia, et omnia iura, quibus aliae gentes fruerentur, ex §. CXXII. conceſſa voluit a. 1661. d. 29. Ian. (n. 520.). [Sed malebant Belgae illa ex *mutuo Pacto* habere. Atque ita, post multa *molimina*, post arcana utrimque *conſilia*, post penſitata utriusque gentis commoda, Belgae arctius iterum cum Gallis iuncti ſunt a. 1662. d. 27. Apr. (n. 532.). Quod primum veri nominis Fedus fuit.

Fedus cum Gallis a. 1662.

Duplex eius argumentum, mutui *Auxilii* ac *Defenſionis*, ſimul et *Commercii* ac *Navigationis*; quod per

per 25. annos esſet duraturum, ſi per Gallos li-
cuisſet.

§. CLXII. Ex priore parte, quae §§. xv. abſolvitur. Federis Capita.

§. I, II. Mutua erit iurium ac posſesſionum defenſio intra Europam; eaque §. IV, V. extenditur ad omnia iura *Navigationis*, ac *Piscationis*, iure gentium et pactis conventis permisſae; ac communis inde belli alea.

§. III. Exhibebitur utrimque *Catalogus Federum*, (n. 533.) cum aliis gentibus, pro quibus fidem quisque ſuam interponet (*Garantie*).

§. VI—XI. Praeſtabit Rex Gall. auxilia ad 12000. Belgae ad 6000 Milites.

§. XII. Violata aliqua Federis parte, non cenſebitur integrum Fedus violatum.

§. XIII. Orto inter ſocios bello, dabuntur alterius gentis ſubditis 6 menſium Induciae, cum plena abeundi vel merces vendendi facultate.

§. XV. Neque ulla cum alia gente inibitur Conſociatio, quae huic fraudi ſit.

Separatis vero Articulis explicantur et terminantur *Copiae* auxiliares, *communi conſilio*, ſi necesſe ſit, *augendae*, vel eorum loco pretium ſolvendum.

Ex hac igitur priore parte (de altera parte, quae *Mercaturam* ſpectat, dicam CAP. IV.) mutua fuerat opitulandi obligatio in bello Reipubl. cum Anglis a. 1664—1667. ſed mutata paullo post ſcena est.

§. CLXIII. Inierat nempe a. 1661. LVDOVICVS XIV. Rex Gall. nuptias cum MARIA THERESIA filia Regis Hispan. Defuncto a. 1665. Rege ſocero, relicto ſuccesſore CAROLO II. Rex Occaſio frangendi.

 Gal-

Galliae, poſthabitis *Renunciationum* literis, titulo uxorio Ducatum Brabantiae, aliasque Hiſpan. ditiones, Reipublicae vicinas, *iure Devolutionis*, (§. LXXIV.) ad ſe delapſas contendens, etſi tandem a. 1667. d. 5. Maii (n. 594.) de claſſe adverſus *Anglos* iungenda cum Belgis convenerat; *Belgium Hiſpanicum*, a. 1667. vi armata, invadit, et occupat. Commovit haec res tunc omnes fere Gentes Europaeas; Reſpublica, ex vicinitate ſibi metuens, quo Regis ambitioni obicem ponat, ſubito ad pacta ſocialia convolat, et mira celeritate cum *Anglis* et *Suecis* clam Fedus ſociat *Triplex* (vulgo *de Triple Alliantie*) a. 1668. d. 25. Apr. (n. 609—611.) cuius finis erat promotio Pacis Galliae cum Hiſpan. per remedia, ſi opus eſſet, efficacia. Coaluit illud intra quinque dies; id quod mirabitur nemo, qui noverit, quanta iſta aetate cum auctoritate tum ſagacitate valuerit IOHANNES WITTIVS, OO. Holl. Syndicus. Hoc autem Fedus quum Regis Gall. conſilia penitus ſubverteret, et Pacem Aquisgran. a. 1668. d. 2. Maii (n. 612.) promoveret; provocavit ipſius in Remp. odium (15); et, quemadmodum proximis annis multa arcana apud Belgas inierat Conſilia Legatus D'ESTRADES, quibus Rempubl. commodis Regiis devinctam tenuerat (16); ita ſqq. a. 1669, 1670.

Origo Federis Triplicis a. 1668.

Regis inde odium.

(15) AMELOT DE LA HOUSSAYE obſervationes ad FREDERICI LEONARDI *Recueil*, T. I. p. 192.

(16) De quibus fidem ut faciunt omnes D'ESTRADESII Literae, ita in primis conſulatur *Praefat. Belg.* ad has *Literas*, p. 103. ſqq. ed. 8vo.

Digitized by Google

1670. plures occultae Machinationes apud Europae Principes, ut triplex ille nodus diſſolvatur, frenumque Belgis iniiciatur, ut ne in poſterum adverſus Regem quidquam auderent. Monuit iam a. 1668. Belgas imminentis periculi Legatus noſtras P. DE GROOT (17). Monuit Elector *Brandeburg.* (18). Per idem tempus, Anglia, variis artibus Belgis infeſtior reddita, Regi Galliae ſe ſociam addit. Incitantur ad arma *Elector Colonienſis*, et *Episcopus Monaſterienſis* (n. 635, 643, 647.). Atque ita ſub amicitiae ſpecie deluſis Belgis, ortum eſt a. 1672. bellum, Belgis, ſi unquam alias, periculoſiſſimum ac ſumtuoſiſſimum. Vnde intervallum annorum 1669—1679. in Annalibus Belg. vocantur. *Decem anni Fatales Epocham Hiſtoriae Belgicae facturi.* Cauſſas belli *iustificas* dederunt Rex Angliae a. 1672. d. 27. Mart. (de qua infra) et Rex Galliae d. 6. Apr. (n. 636.). Veras cauſſas, in primis Regis Galliae, abunde comprobat rerum ſeries. Taceo *nummos* et *picturas*, quas iniurioſas vocabant, et Anglorum aſſerendi *Dominii Maris* conamen (19). et bellum a. 1672.

§. CLXIV.

---

(17) Vid. J. DE WIT, *Brieven*, T. II. p. 592, 644. T. IV. p. 848.

(18) S. PVFENDORF, *Rer. Brandenburg.* L. XI. p. 590.

(19) In Anglica quidem Declaratione Belgis imputatur *une inſolence inouie, qu'ils veuillent nous diſputer l'Empire de la Mer.* Sed ne talia quidem opponere potuit Rex Gall. teſtatus tantummodo, ut verbis utar RA-

Digitized by Google

Reipublicae anguſtiae.

§. CLXIV. Praeclara hoc in bello multorum *Heroum* terra marique fuere facinora; defunctis *Monumenta* erecta; neque tamen minus rapidus Regis Gall. victoriae curſus, ac miſeranda rerum Belg. facies, tribus iam occupatis Provv. Pudet referre *durisſimas*, immo turpisſimas recuperandae, an emendae? Pacis Conditiones, ab utroque Rege propoſitas, a. 1672. d. 17. Iul. (n. 649, 650.). Res eo redacta iam erat, ut invitarentur Belgarum cives, ſe ſuasque fortunas in Angliam transferre (n. 644.). Tam miſerando rerum ſtatu *unus homo Belgis animando reſtituit rem.*

Wilhelmus Gubernator.

WILHELMVS Arauſion. annos natus 22. h. n. III. in avitas reſtitutus dignitates a. 1672. d. 2. Iul. (n. 646.) creatur Gubernator et terra marique Imperator.

Animos erigit.

Hic labantes animos ita erexit, ut bellum honestum prae pace inhonesta, cuius in conditiones proni iam *permulti* erant *proceres*, praeoptarent. Perpauca inita erant Pacta Subſidiaria a. 1672. d. 22. Febr. (n. 631, 632.) cum Rege Hispan., a. 1672. d. $\frac{26.\ \text{Apr.}}{6.\ \text{Maii}}$ (n. 641.) cum Electore Brandeburg.

Federa conciliat.

Non acquievit his WILHELMVS. Ineuntur nunc plurima *Auxiliaria*, et *Subſidiaria*, cum *Imperatore*, cum *Rege Hispaniae*, *Rege Daniae*, *Duce Lotharingiae*, aliis, a. 1672. d. 25. Iul. et d. 22. Sept. (n. 651, 653, 654, 663.) a. 1673. d. 20. Maii, d. 1. Iul., d. 30. Aug. et d. 6. Oct. a. 1674.

PINI THOYRAS, *Hiſtoire de l'Angleterre*, T. IX. p. 316. ſq. *que le Roi n'étoit pas ſatisfait des Hollandois.*

Digitized by Google

1674. d. 26. Ian. (n. 658, 661, 664, 665, 666, 668, 670.).

Edicta Belgg.

Idem quamplurima Edicta Ordinibus promulganda propoſuit, vel pro iure ipſe promulgavit, quibus vel hostibus *damna* dari, vel ſtatus Belgarum *militaris*, terra marique, *emendari*, vel alacrius *ſubſidia* conferri ab civibus, vel *arma parari*, poſſent.

Pax cum Anglis, promotore Hispano a. 1674.

Ex ſecreto quoque Articulo Federis a. 1673. d. 30. Aug. (n. 665.) Rex Hispan. ſeparatam *cum Anglis* pacem promovit a. 1674. d. $\frac{9}{19}$. Febr. (n. 671. de quo infra), ipſe exeunte anno 1673. bellum Regi Gall. declarat. Vnde felix in aliis ſucceſſus. Coaluere ſtatim *Pacis Federa* cum *Episcopo Monaſterienſi*, et *Electore Colonienſi*, qui loca occupata reſtituunt, a. 1674. d. 22. Apr. et d. 11. Maii (n. 673—675.).

Gallus recedit.

Atque haec et alia anſam dederunt, cur Rex Gall., armis in Germaniam et in Ditiones Belgicas Regis Hispan. converſis, concito gradu Rempublicam relinqueret.

Belgae iuvant Hispanos.

Belgae ſua vice Hispanos ac reliquos ſocios adiuvant. Vnde iterum nata bene multa Belgarum Federa, *ſubſidiaria*, *auxiliaria*, tum et *mutuae defenſionis*,

Cum Electore Brandeburg. a. 1674. d. 1. Iul. qui deſertis antea ſociis nunc iterum partes Gallicas deſerebat, (n. 677.).

Cum Imperatore LEOPOLDO et Rege Daniae a. 1674. d. 10. Iul. (n. 679.).

Cum Ducibus Brunsvic. Luneburg. a. 1674. d. 20. Iun. et a. 1675. d. 26. Ian. (n. 676, 684.).

Cum Duce Lotharing. a. 1675. d. 9. Mart. (n. 685.).

Cum

Cum Electore Colonienſi a. 1675. d. 16. Oct. (n. 690.).

Cum Comite Palatino-Neoburg. a. 1676. d. 26. Mart. (n. 695.).

Cum Rege Angliae a. 1678. d. 10. Ian. et d. 3. Mart. (n. 701, 704.).

Pax Neomagenſis a. 1678. Donec tandem post diuturnas Deliberationes, varia *arte* protractas (20), *Pax Neomagenſis* Belgas inter et Gallos a. 1678. d. 10. Aug. (n. 710.) ſeparatim coaluit. Secuta est d. 17. Sept. pax inter *Gallos* et *Hispanos* a. 1678. d. 17. Sept. (n. 715.). Eodemque circiter tempore pacatae ſunt reliquae Gentes, quotquot infauſto huic bello variis ex cauſis fuerant implicitae, vel ſociae; in his Imper. LEOPOLDVS, *Rex Daniae*, *Duces Brunsvico-Luneburgenſis*, *Episcopus Monaſterienſis*, *Elector Brandeburgenſis*, quorum exſtant Federa a. 1679. d. 5. Febr., d. 29. Mart., d. 29. Iun. d. 2. Sept. et d. 26. Sept. (n. 717, 718, 720. et alibi) quamquam de exſecutione tot Federum multae deinde ortae ſunt difficultates, immo Pacta Conventa; nec non quamplurimae publicae et ſollemniores *Proteſtationes* (n. 711.) in primis contra Belgarum, ſola ſe neceſſitate excuſantium, ſepa-

(20) *Lettres & Negotiations du Comte* D'ESTRADES, paſſim. *Recueil des Préliminaires de la Paix avec les Principaux Traitéz faits devant & apres le Congres de Nimegue*, Colon. 1678. 12mo. *De* SAINT-DIDIER, (*Secretaire d'Avaux*) *Hiſtoire de la Negotiation de la Paix de Nimegue depuis* a. 1676—1679. Hag. Com. 1697. 12mo.

paratam cum Gallis Pacem; de qua literae expoſtulatoriae Electoris Brandeburg., conquesti de *non praeſtita* ab OO. GG. fide, deque damnis hinc ipſi in terris Clivenſibus illatis, et OO. ad eas reſponſa (21). De ſeparata Regis Sueciae, quem ſuas in partes traxerat Rex Gall. et cui a. 1675. Ordines Feder. Bellum declaraverant, reconciliatione cum Republica, dicam infra.

§. CLXV. Hoc Pacis Federe Rex Gall. Belgis reſtituit Moſa-Traiectum, in reliquis valebat Regula, *uti poſſidetis* §. VII -- X. Cavetur §. VI. de Bergazomenſi Oppido per OO. legitimo poſſeſſori reddendo; et §. XVI. de Principatu Auriaco ab Rege Gall. reſtituendo; ac ſimul, ſed ſeparatim, initur Fedus Navigationis, de quo CAP. IV. Sic bellum finitur, quod, omnibus pristino ſtatui redditis, nemini lucrum attulit, omnibus magno conſtitit.

§. CLXVI. Vix haec ſubſederat belli flamma, quum nova ſcintilla ardescere viſa est. Invaſerat denuo Rex Gall. a. 1683. at quo colore? ditiones Belgo-Hispanas. His ex pacto auxilia 8000 militum debebant Belgae. Post gravisſimas de *his mittendis* in Belgio Federato altercationes, rixas et odia (22), Belgae, ſociato tandem cum Rege Galliae Federe a. 1684.

Novae rixae.

(21) *Hollandſche Mercurius*, a. 1679. p. 160. ſq.

(22) Libr. Belg. *Conſideratien van Staatszaken*, a. 1684. 4to. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XV. p. 239. Quis haec aluerit, docent Literae D'AVAVXII Legati Gallici.

a. 1684. d. 29. Iun. (n. 742.) de promovenda inter Hiſpanos et Gallos quiete, quo ſibi ac Belgio Hiſpanico ſatis cautum videbatur (23); Rex Hiſpan. ad *Inducias* cum Rege Gall. *vicennales* a. 1684. d. 15. Aug. (n. 743.) compulſus eſt, iis, quas Belgae Regi Gall. perſuaſerant, conditionibus, ipſi admodum proficuis.

Induciae.

Novum bellum.

§. CLXVII. Sed quid *Induciae* proſunt, ubi aliunde belli fomenta? Duraverant illae per tres quatuorve annos; et iam a. 1689. omnis Europa in armis. Si cauſam rogatis? Concurrebant plures! Rex Gall. praetextu ex cauſſa Colonienſi ſumto, Pontifici Rom. et Caeſari in Germ. bellum indixerat; cum Turcis Fedus pepigerat; acceſſerat ingens rerum poſt obitum CAROLI II. a. 1685. in Anglia permutatio; WILHELMVS III. Gubernator, Belgarum ope in regia ſede M. Britanniae collocatur, fremente Rege Galliae; cuius adverſus religionem reformatam *odium*, revocatum Edictum *Namnetenſe*, turbata Belgarum *Commercia*, *interdictae* merces, *naves* in Galliae portubus detentae, et alienati hinc tantopere Belgarum animi, ut, quos D'AVAVXIVS antea penitus Regi addixerat Proceres, iidem mutata ſubito mente WILHELMVM et Britannos adiuvarent. Hoc tam aegre tulit LVDOVICVS XIV. ut a. 1688. d. 16/26. Nov. (n. 759.) Bellum Reipublicae indiceret. Quas ille belli cauſſas

(23) Hoc Fedus per IV. tantum Provinciarum ſuffragia initum, refert WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XV. p. 243. Cf. p. 246. ſq.

ſas praetexuerit, docet ipſa eius *Bellica* Declaratio; docent etiam minae a. 1688. d. 9. Sept. Quas contra *veras* ac *iustas* dolendi cauſſas haberent Belgae, ſollemni illas Declaratione a. 1689. d. 9. Mart. (n. 760.) in omne aevum memorabili, expoſuere. Secutae ſunt aliae Bellicae Declarationes Gallorum, aliorumque adverſus Gallos, per Imperatorem, per Regem Angl. per Regem Hiſpan. de ſuo Belgio contendentem a. 1689. M. Apr. et Maio, (n. 761, 762, 764, 766.). Vnde quinque aperiuntur *Belli* theatra in *Germania*, *Italia*, *Catalonia*, in *Belgio*, denique bellum *maritimum*. Hisce telis Belgae e longinquo praeviſis, iam mature ante bellum ab Gallo declaratum, undique conquiſiverant auxilia et ſocios, iunctis Federibus cum Electore Brandeb. a. 1688. d. 30. Iun. (n. 754.) cum Rege Daniae d. 6. Iul. (n. 755.) Sueciae d. 12. Sept. (n. 756.). Poſt indictum vero bellum ſtatim cum Rege M. Britann. (et erat is Belgarum Gubernator ac vindex!) a. 1689. variis diebus (n. 763, 770, 771, 772.) ex communi commodorum neceſſitate arctior animorum fit coniunctio adverſus Gallos. Sed his etiam ſuperacceſſit Fedus cum Imperatore LEOPOLDO a. 1689. d. 12. Maii (n. 765.) cui ex aliarum Gentium acceſſione *Magni Federis* nomen datum. Eius in Prologo declarant contrahentes, ſeſe *perpendentes commune periculum*, *quod per Gallicam Invaſionem omni Reipublicae Christianae impendeat*, *et lubricam Gallorum*, (ſic OO.!) *in obſervandis federibus fidem*, de efficacioribus mediis conveniunt, ſeſeque invicem obſtringunt, ad bellum terra marique contra Regem Gall. iunctis viribus gerendum, donec Pax

West-

Westphalica et Pyrenaea ſit vindicata. Cavetur ſimul hoc Federe de ſucceſſione Domus *Auſtriacae* in Regna Hiſpanica. Quod obiter hic monendum.

Huic Federi contra Gallorum potentiam ſocios ſe addiderunt Reges Hiſpan. d. 17. Iun. (n. 767.) M. Britt. d. 20. Dec. (n. 773.) et alii (n. 779, 781. ſqq.). Bello deinde ſociis ex voto magis quam antea adverſus Gallos fluente, ſecuta ſunt a. 1695. multa *magni* huius Federis *Acta* et *Pacta* confirmatoria (24). Admittebantur in Federis Societatem omnes Principes ac ſtatus Circuli *Franconici* et *Suevici*. Inibantur novae quoque Confederationes cum Duce *Holſtein-Gottorp*, a. 1696. d. 24. Maii (n. 806.). Sic armis coniunctis ſocii Regis Galliae potentiam frangunt, eum cedere compellunt, et poſt pactas cum Imper. et Rege Hiſpan. a. 1696. d. 7. Oct. *Inducias*, armorum exitus fuit a. 1697. ſq. *Pax* totius fere Europae generalis, ab pago prope Hag. Com. *Ryſvicenſis* dicta: qua Rex Gall. multa poſt Pacem *Neomagenſem* occupata ſingulis reſtituit; WILHELMVM III. Regem M. Britann. agnovit, bona omnia ipſi qua Principi Arauſionenſi ademta aſſeruit; atque ita ex tot victoriis, quae orbem Europaeum ſanguine inundarunt, praeter *gloriam*, vix quidquam abſtulit.

Pax Ryſvicenſis Generalis a. 1697.

§. CLXVIII.

---

(24) Habentur haec ſuo quaeque loco a. 1695. d. 18. Mart., d. 8, 16, 18, 22, 27. Aug., d. 1, 12, 13, 21, 22. Sept., d. 6. Oct. et d. 7. Nov. A. 1696. d. 24, 30. Mart. et d. 26. Iul.

§. CLXVIII. Separatim inter Gallos et Belgas ſancita Pax eſt a. 1697. d. 20. Sept. (n. 811.) cuius argumentum ab *Pace Neomagenſi* parum diſcedit; excepto quod, uti §. VIII. *Neomag.* valebat Regula *de poſſidendo*, nunc contra §. VIII. omnia utrimque, intra et extra Europam ablata, reſtituuntur, nominatim, quam Belgae ſibi vindicarant, urbs *Pondichery* in *India Orientali*. Renunciatur utrimque omnibus cuiuscumque generis poſtulatis. §. XIV. In favorem Mercatorum ſubditis *fracta pace* conceditur non 6. ſed 9. menſium ad diſcedendum intervallum. De ipſa Mercatura ſeparatim cautum eſt.

Cum Belgis ſeparatim.

Capita primaria.

Ad Federis exſecutionem ſpectat quoddam OO. Edictum a. 1697. d. 15. Oct. nec non ſollemnis Regis M. Britann. *Promiſſio* d. 21. Sept. (n. 813.). Per Fedus Gall. cum *Anglis* d. 20. Sept. (n. 809.) Rex Gall. agnoſcit WILHELMVM III. Regem M. Britann. Eodem ille die (n. 810.) Regi Hiſpan. reddidit nonnulla loca in Belgio ablata; ſervavit alia. Cum Imper. d. 30. Oct. (n. 817.) Pax itidem convenit, eaque famoſa per quartum illum Articulum, qui ab Rege Gall. contra omnium Principum Religionis Proteſtantium mentem intruſus dicitur, de ſarta tecta conſervanda Religione Rom. Cathol. eo in ſtatu, quo iis esſet in locis, quae tunc Rex Gall. reſtituebat. Vnde inſignes deinde ac diuturnae lites (25).

§. CLXIX.

(25) De quo negotio vid. quos laudat STRVVIUS; *Corp. Hiſtor. Germ.* p. 1407. J. J. MOSER; Theutſcher Staats-

M

Wilhelmi III. laus.

§. CLXIX. Ingenti haec Pax in Belgio excepta est laetitia. Magna fuerunt in gravisſimo hoc bello conficiendo et Pace promovenda WILHELMI III. Gubernat. Belg. et Regis M. Britann. merita; unde alibi dictum (26), *nullum tum Europae Regem ambitioni et potentiae* LVDOVICI XIV. *magis obſtitisſe quam hunc* WILHELMVM. Refert G. VAN LOON (27) in eius honorem cuſum Numisma hac Epigraphe:

Liberavit gentem ſuam.
Acquiſivit ſibi Regna.
Servavit ſocios.
Iniecit frena licentiae.
Orbi reſtituit pacem.

Novum bellum.

§. CLXX. Sic ſatis cautum videbatur de ſecuritate Belgarum ac totius Europae quiete, niſi hanc iterum intervertisſent arcana Aulae Gallicae conſilia de *Regno Hispanico*, omnique adeo Belgio, PHILIPPO Andegav. Regis ex ſilio nepoti vindicando post obitum Regis Hisp. CAROLI II. (28). Hinc or-

---

Staatsrecht, T. I. p. 507. Ex Belgis Liber: *Hiſtorisch Verhaal van de wereldvermaarde Noodlottige Clauſul, in het 4de Artykel van de Ryswykſche Vrede*, a. 1737. 8vo.

(26) CHR. SAXII *Monogramm. Hiſtor. Batav.* p. 265.

(27) G. VAN LOON, *Beſchryving der Nederl. Hiſtoriepenningen*, T. IV. p. 190. ſqq.

(28) De his testantur Hiſtorici; ex nostris WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XVI. p. 350, 357, 405.

ortum Regi Galliae cum *Anglis* et *Belgis* bellum. De cuius origine, cauſſis, et fatis dixi §§. LXXVII — LXXXII. *de Iure Praeſidii adverſus Gallos.* In OO. Declaratione, a. 1702. d. 8. Maii (n. 854.) inter cauſſas belli, non fictas, non iuſtificas, ſed veras, recenſent OO. violatum ſollemne *Partitionis* Fedus, laeſa Belgarum iura, turbata commercia, occupatas Belgii Hiſpan. provincias, eiectas cohortes ſuas praeſidiarias, ademtum propugnaculum ex Federe ſibi debitum, et cuius obtinendi cauſſa tot exantlaverant bellorum labores atque dispendia; denique obſesſum nunc etiam teneri Territorium, nec aliud *niſi in armis* ſibi ſupereſſe remedium (29) Ordines conqueruntur. Sequebantur ſtatim reliquorum Principum huic bello immixtorum Declarationes. His ſuas oppoſuerunt Galli a. 1702. (n. 856, 858, 860.) quas ſi comparaveris, facile apparebit, quid differant cauſſae *verae* et *iustae* ab *iuſtificis* et *ſuaſoriis*. Neque enim hae unquam inter Gentes deſunt. Inita et tunc est ſeparata *Conventio* a. 1702. d. 12. Apr. (30), inter Imperatorem, Belgas et Anglos de Pace cum Gallo non ineunda, niſi vindicata ſit iniuria ex agnito ab Rege Gall. *Principe Walliae*, tamquam Rege M. Britann. Alia de his Acta proſtant in *Secret. OO. GG. Actis* d. 8. Iun.

Belgis iustum et necesſarium.

§. CLXXI. Exitus belli per XI. annos vario mar-

Exitus Pax Traiectenſis a. 1713.

---

(29) Aliter vulgo *Galli*, in his MABLY. Non ſine ratione!

(30) *Groot Placaat-Boek*, T. IV. p. 414.

marte geſti, poſt edita praeclarae etiam Belgicae virtutis documenta, fuit *Pax Traiectenſis* a. 1713. d. 11. Apr. (n. 910.) qua aſſerta iterum contra Regem Gall. Europae eſt Libertas (31); ſed quae Anglis et Belgis, non minus atque Gallis (32), exhauſto penitus Aerario conſtitit. Ipſum Belgarum cum Gallis Fedus multum abeſt ab lautisſimis iis, quas Rex Gall. *Geertruidenbergi* a. 1709. ſq. (n. 877, 880.) propoſuerat, Conditionibus; etiam ab iis, quae a. 1711. d. 8. Oct. (n. 894.) ſunt propoſitae: ita tamen initum, ut, praeter ſolitas *Pacis* conditiones, uti ſunt rerum actarum oblivio, ſolvendi captivi, tributa bellica etc. §. XXXI. Belgae obtinuerint disiunctionem Regnorum Galliae et Hiſpaniae in perpetuum, quo melius quieti et libertati Europae caveatur; nec non confirmationes *Renunciationum* Familiae Borbon. in Hiſpania regna-

(31) De omni *Pacis Traiectenſis* negotio vid. *Actes & Memoires touchant la Paix d'Utrecht*, IV. Voll. 8vo. *Hiſtoire du Congres & de la Paix d'Utrecht*, a. 1716. 8vo. et quos laudat STRVVIVS, *Corp. Hiſtor. Germ.* p. 1488–1493. De rebus Belgg. LAMBERTY, *Memoires*, T. VIII. princ. *Europ. Mercur.* a. 1713. P. I. p. 202.

(32) Ab eo tempore repetenda eſt illa *Decimi Denarii* Regni Gallici impoſitio a. 1710. de quo in quadam *Remonſtratione* (*Nouvell. Extraord.* a. 1788. n. 30. *Suppl.*) dicitur: *que la Levée du Dixième est un* REMÈDE EXTRÈME & VIOLENT — *auquel l'on eût recours après dix ans de la Guerre la plus* JUSTE, *mais la plus* MALHEUREUSE *que* LOUIS XIV. *ait eu à ſoutenir.*

Digitized by Google

gnaturae in ſucceſſionem Regni Gall. ac viciſſim (33). Pro his fideiuſſere Belgae. Porro §. XIV. prohibetur omnis Belgii Hiſpanici, vel alicuius partis alienatio, donatio, commutatio, vel translatio in Regem Gall. vel aliquem istius Domus heredem (34).

§. XXXII. Rex Gall. nec ſibi, nec ſubditis ſuis maiora Commercii et Navigationis tum in Hiſpan. tum in Indiis Hiſpan. prenſabit commoda quam habuit ſub CAROLO II.

Denique §§. VII, VIII, XI, XII, XIII. Ordines Belg. Feder. ab Rege Gall. recipiunt Ditiones Hiſpano-Belgicas, Principi Auſtriacae ſtirpis tradendas, ſimulatque *de Iure Propugnaculi* et *Praeſidii* cum Imperatore convenerint, De quo ſupra §. LXXXIV.

Duobus Articulis ſeparatis,

1. Rex Gall. ſpondet curare, ut quae de *Commercio* et *Navigatione* in Pace Monaſterienſi ſunt ſancita, eodem maneant pede.

2. Contra OO. fidem obligant ſuam, ut Imperator ſancte obſervet Conditiones hoc Federe ſtipulatas.

§. CLXXII.

---

(33) Sollemnes hae Renunciationes habentur apud DV MONT *Corps Dipl.* T. VIII. P. I. p. 304. ſq. 310. ſq. 315. ſqq. et *Actes de la Paix d'Utrecht*, T. II. p. 164. ſqq.

(34) Contra hunc Artic. Gallos a. 1757. peccaſſe conqueſti ſunt Angli, *Nederl. Jaarboeken*, h. a. p. 1073. Cf. a. 1758. p. 39. Poſt CAROLI VI. mortem alia acta ſunt.

Digitized by Google

Aliorum cum Gallis Federa.

§. CLXXII. Quod ad reliquos Principes! Rex Gall. *Anglis* promittit, agniturum ſeſe ſucceſſionem Domus Hanoveranae in Regno M. Britann., neque unquam opem laturum iis, qui hanc turbare vellent; Galliam autem nunquam cum Hiſpania iunctum iri; Dunquerkana Munimenta ſolo erunt adaequanda, etc. *Boruſſis* ceditur pars *Gelriae Superioris* ditionis Hiſpanicae.

Atque ita in Syſtemate Europaeo multa *mutata!* Confirmantur ea omnia *Pace Radſtadenſi*, a. 1714. d. 6. Maii, et *Badenſi*, d. 7. Sept. ex §. LXXXV.

Arctius adſtricta.

§. CLXXIII. Quo firmiore vero tibicine niteretur *Pax* illa *Traiectenſis*, a. 1717. d. 4. Ian. (n. 946.) novum *Fedus Tripartitum Amicitiae* ac *mutuae Defenſionis* initum eſt inter *Reges Galliae*, *Angliae*, et *OO. Feder.*, cuius primarius fuit ſcopus conſervatio quietis per mutuam *Guarantiam* Federis, et *auxilii* promiſſionem, ita tamen, ut, quantum ad *Belgas*, haec *Auxilii* et *Guarantiae* praeſtatio ſeſe non extenderet *extra Europam*, ex ſeparato Articulo (n. 946.).

Novi motus ex Polonia.

§. CLXXIV. Ab hoc tempore, utcumque merito diuturna a bellis ſperanda erat quies: hanc tamen ſpem a. 1732. interturbare viſa eſt mors Regis *Poloniae*. Imperator novum Poloniae Regem volebat AVGVSTVM II. Electorem Saxoniae, Rex Gall. ſocerum ſuum STANISLAVM. Hinc ad arma! Ex Federe Viennenſi a. 1731. d. 16. Mart. (n. 999.) et Belgg. acceſſione a. 1732. d. 20. Febr. (n. 1003.) Imperator Belgas opem rogabat auxiliatricem. Belgae ab Gallis ſibi metuunt. Hinc ſententiarum, ut in talibus fere ſemper, in Belgio divortium. Res, urgente Gallo, tandem conficitur,

tur, inita cum Rege Conventione, quam *neutrarum partium* vocant (*Tractaat van Neutraliteit*), a. 1733. d. 24. Nov. (n. 1011.) qua Ordines neutras ſequi partes, neque ſe rebus Polonicis immiſcere promittunt. Vicisſim Rex Gall. *Belgio Auſtriaco* parcet; quod ſi vero Imperator ab hac parte Gallis vim inferat, vis vi repellenda. Continuatum est hoc Fedus a. 1735. (n. 1012.) ad unum annum. Moderatorem deinde agente Republica Pax a. 1735. d. 18. Sept. coaluit inter Gallos et Polonos (n. 1013.), ſimul et bellum cum Imperatore ſubſedit, ex Pace Vindobon. (35), et aliis.

Quartum, et, ut ſperamus, ultimum cum Gallis bellum ortum est a. 1747. Eius origo et cauſſa paullo altius est repetenda. Post multas nempe de Navigatione Ostendana, atque Erectione Societatis Indiae Orientalis Controverſias, (de quibus ſeparatim CAP. VI.) initum fuerat inter *Anglos* et *Imperatorem* Fedus *Vindobonenſe* a. 1731. d. 16. Mart. cui a. 1732. d. 20. Febr. Belgae acceſſerant. Hinc Belgae et Angli ſponſores erant *Sanctionis Pragmaticae Familiae Auſtriacae*. Transacto vero de eligendo Rege *Poloniae* bello, aliud interceſſerat a. 1738. d. 18. Nov. fedus inter Regem Gal-

Vltimum cum Gallis bellum.

Cauſſa remotior

(35) A. 1735. d. 5. Mart. et a. 1736. d. 11. Apr. a. 1738. d. 18. Nov. de quibus DV MONT, *Corps Dipl. Suppl. Suppl.* T. III. P. II. p. 549, 592. ROUSSET, *Recueil*, T. X. p. 519. et T. XIII. p. 411–524. *l'Etat Politique de l'Europe*, T. II. p. 285. Cf. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XIX. p. 204, 210, 241.

Digitized by Google

Galliae et Imperatorem, quo post confirmata §. III. Federa Westphal. Neomag. Ryſvic. Badenſe, etc. ambae partes contrahentes §. VI. ſancte promittunt, ſervaturos ſeſe ſuccedendi normam per *Sanctionem Pragmaticam* a. 1713. d. 19. Apr. ſtabilitam; unde primogenita Imper. filia (MARIA THERESIA) agnoſcebatur *legitima et unica heres* omnium Ditionum et Regnorum Domus Auſtriacae. Accesſerunt *Hispania*, *Sicilia*, *Sardinia*, a. 1739. (36). Defuncto paullo post a. 1740. d. 20. Oct. Imperatore CAROLO VI. eius filia cernere etiam debebat *Ditiones Belgico-Auſtriacas*, Reipubl. proximas; ſtatim quoque agnita est ab iis Europae Gentibus, quae pro hac *Sanctione Pragmatica* ſpoſponderant; fuit etiam *Respublica Belgica* fidei ſuae tenacisſima; obſtitit tamen Rex Galliae; obſtiterunt alii, amplisſimae pasſim hereditati inhiantes. Quaquaverſum belli flamma erumpit. Belgae, ad copias auxiliares praeſtandas ex Federe obligati, ab Gallo ſollicitantur ad *Fedus Neutralitatis*, adducto priori exemplo; eaque ſpe innixus Rex a. 1739. proniorem ſe exhibuerat ad *Fedus Commercii*, (de quo CAP. IV.). Promulgantur bellicae Declarationes (37); Ordines Belgae, post lon-

et occaſio.

Sanctio Pragmatica.

(36) ROUSSET, *Recueil*, T. XIII. p. 524, 527, 532.

(37) Quae, cum Gallorum tum Reginae Hungariae, proſtant in ROUSSET, *Recueil*, T. XVIII. p. 348. ſq. *Placaatboek van Brabant*, T. IX. p. 218. *Placaatboek van Vlaanderen*, T. V. P. II. p. 941.

Digitized by Google

longas Deliberationes, easque perquam difficiles, de *caſu Federis*, de *mittendis copiis*, (n. 1028, 1030.) et poſt factam per Reges *Galliae* et *Boruſſiae* invitationem, ut accedant ad Fedus inter ipſos de vindicanda Europae quiete (n. 1032.), tandem auxilia Reginae Hungariae a. 1743. praeſtant. Rex Galliae urbes Belg. Auſtriac. occupat, et milites Belgas in praeſidio collocatos captivos abducit. Interim Reſpubl. arctiore ſe vinculo nectit cum Rege Angliae, Electore Saxoniae et Regina Hungariae, ex *Federe Quadruplici* a. 1745. d. 8. Ian. (n. 1042.), ex Pactis Subſidiariis a. 1746. cum Elector. Saxon. et Bavar. (n. 1049, 1050.) et ex alio cum Anglis a. 1747. d. 27. Ian. quumque ea propoſiti tenax ne ſic quidem per Galliae victorias ab fide deflecteret, Rex inopinato, et eodem die, quo id ſe facturum blanda penitus oratione per Legatum minatus erat, a. 1747. d. 17. Apr. (n. 1053.) infeſtis armis Reipublicae Territorium invadit (38). OO. GG. inſigni et memorabili Reſponſo d. 7. Nov. (n. 1053.) rem omnem geſtam exponunt, veras belli *cauſſas* aperiunt, neque verentur Regem Gall. *fractae fidei* publice inſimulare, ac *Federis violati reum* vocare.

Bellum cum Regina Hungariae.

Belgae hanc iuvant.

Rex Gall. minatur.

§. CLXXV. Bellum ſecutum eſt! Mira tunc omnium rerum in Belgio conturbatio! Ineuntur ſtatim plurima *Federa*; circumſpiciuntur undequaque au-

Bellum infert Reipublicae.

(38) Idem olim factum, conqueſtus fuerat Syndicus IOHAN DE WIT a. 1667. narrante D'ESTRADES, *Brieven*, T. VI. p. 125. Cf. T. V. p. 268, 274, 514.

Digitized by Google

auxilia ex Pactis debita; acquiruntur nova, etiam ab *Ruſſis*, a. 1747. d. $\frac{19}{30}$. Nov. (n. 1057.). Promulgantur multa OO. GG. Edicta, tali rerum ſtatu promulgari ſolita, cum ut caveantur civium et mercatorum damna, tum ut hostibus noceatur (39); porro, ut citius comparentur nautae, naves, et omnis apparatus navalis (n. 1058. et 1059.). Eadem facit Rex Galliae, postquam iam a. 1745. revocaverat *Fedus Commercii* a. 1739. initum (n. 1046.). Rebus tam anxiis converſi ſtatim omnium oculi in ſummum *terra marique Imperatorem*, et, quo ſe non poſſe carere, rebus in arduis Belgarum Proceres ſaepe profeſſi fuerant, *Gubernatorem*. Electus est ab OO. deſiderante et applaudente populo WILHELMVS IV. Princeps Auriacus, iisdem honoribus, iuribus, et praerogativis, quibus WILHELMVS III. Eriguntur omnium animi: iamque a. 1748. d. 30. Apr. inter *Gallos*, *Belgas* et *Anglos* placebant *praeviae Pacis Conditiones*, *inſueto* hactenus compoſitae *more* (n. 1065.) et a. 1748. d. 18. Oct. (n. 1072.) coaluit *Pax Aquisgranenſis*, Gallos inter, Anglos, Belgas; cui Paci reliqui Principes pedetentim acceſſerunt.

Acta Ordinum.

Wilhelmus IV. Gubernator.

Pax Aquisgranenſis a. 1748.

Eius ſumma capita.

§. CLXXVI. Haec quia ultima cum Galliae Rege,

(39) Cuiusmodi ſunt ea, quibus ad tempus prohibetur omnis Navigatio, omnis mercium exportatio, bonorum ex ſolo hostico ad nos advectio; ſtatuuntur praemia Praedatoribus maritimis, qui naves hostiles occupant. De quibus ſeparatim CAP. VIII.

ge Pax est, tum aliis ex cauſsis hîc paullo plenius eſt tradenda. Conſtat §§. XXIV.

Horum §§. I. et II. ſancitur Pax generalis et praeteritorum oblivio.

§. III. Confirmantur Federa, nominatim *Pax Weſtphalica*, a. 1648.

Pax Madritenſis inter *Anglos* et *Hiſpanos*, a. 1667.

Pax Neomagenſis, a. 1678. et 1679.

Pax Ryſvicenſis, a. 1697.

Pax Traiectenſis, a. 1713.

Pax Badenſis, a. 1714.

Fedus Triplex et *Quadruplex*, a. 1717. et 1718.

Fedus Vindobonenſe, a. 1738.

§. IV, V, VI. Ablata in Europa et India loca utrimque reſtituuntur, nominatim Reginae *Hungariae ditiones Belgicae*, Belgis *Moſa-Traiectum* et *Berga ad Zomam*. Milites Galli excedent iis etiam Reginae locis, in quibus OO. *ius* habent *Praeſidii*.

§. XIX, XXI. Confirmantur denuo ex *Federe Quadruplici* a. 1718. ſuccesſio *Domus Regnatricis Hanoveranae* M. Britann., atque ex Feder. a. 1713. *Sanctio Pragmatica* Domus *Auſtriacae*, et Fideiubetur §. XXII. pro Rege Borusſiae de *Ducatu Sileſiae*.

§. XVI. Confirmatur Fedus *Madritenſe* a. 1713. de coëmendis ſervis (*Traité d'Asſiento*) de quo infra.

Reliqua Capita ſpectant vel ad commoda Principum *Italiae*, *Hiſpaniae*, *Sardiniae*, §. VII, VIII, XII, XIII—XV. vel ad ſolitas *ſtipulationes*, ex priſtinis Tabulis depromtas; uti de *contributionibus bellicis*, de reſtituendis *Archivis*, de mutua *fideiusſione* ſive *Guarantia*, de ratihabitione, §. IX, X, XI, XXIII, XXIV. Addita ſunt *ſeparata* Capita.

§. CLXXVII.

Digitized by Google

§. CLXXVII. Sunt autem hi anni 1747. et 1748. noſtris in *Annalibus* variis ex cauſis admodum *memorabiles* ac ſimul *famoſi*.

§. CLXXVIII. Quaecumque vero deinde negotia cum Gallis interceſſerunt, quum maxime ſpectent ad *Mercaturam*, vel ad *disſenſiones civiles* nuperas, dicam CAP. IV. Viget hodie Fedus *Amicitiae*, mutuae *Defenſionis* atque *Auxilii* a. 1785. d. 10. Nov. (n. 1248.). Quod vero *de Federe Commercii* ſaepius, et etiam in ipſo *Amicitiae* Federe §. XIII. promisſum eſt, perfici nondum potuit.

FEDERA PACIS AMICITIAE ET DEFENSIONIS CVM REGIBVS M. BRITANNIAE.

Priſtinus cum Anglia nexus.

§. CLXXIX. Variae exſtiterunt cauſſae, cur iam mature cum Anglis arctior amicitiae nexus, et conſuetudo interceſſerit. Quod ut accuratius cognoſcatur, geſta cum Anglis *ante Rempubl. liberam*, cum ratione *Mercaturae* et *Navigationis* tum aliarum rerum, hoc *Capite* complectar. Sub libera vero *Republica* ea duntaxat attingam, quae *Belli Paciſque* negotia moderantur, reliqua CAP. IV.

Nuptiae Angliae.

§. CLXXX. Iam ab prima inde aetate Principum *Hollandiae* exſtitere connubia et pacta nuptialia cum Regibus *Angliae*, a. 1281. et 1285. (n. 2, 3.), ſub Principibus *Burgundis* et *Auſtriacis* ſucceſſerunt longe plura, a. 1468, 1480, 1508. (n. 69, 80, 99.).

Aliae neceſſitudines.

§. CLXXXI. Ex priſtino hoc nexu repetenda eſt, quae iam a. 1295. Belgarum erat *Piſcatio in mari ad Iarmouth*, aliaque negotia bene mul-

ta

Digitized by Google

tia (40). Confirmant hanc neceſſitudinem ipſae Controverſiae mature agitatae *de Commercio et de Mercatoribus* a. 1307. (n. 6, 10, 11.). Probant idem tot *Privilegia*, pro more iſtius aevi Mercatoribus exteris ſive ſpeciatim ſive generatim conceſſa (n. 18, 26, 28—30, 32, 34—36, 38—41.) nec non *Pacta* et *Federa* mutui *auxilii* adverſus Gallos ferendi (n. 13—16.). Angli enim id temporis ſua etiam in continenti habebant Dominia ac poſſeſſiones, illa praeſertim aetate, qua Principes *Burgundi*, ſuas regiones ab Gallorum vel invidia vel potentia vel ab utraque defenſare, neceſſe habebant. Quo pertinent Federa ab a. 1474. usque ad a. 1543. (n. 75, 81, 85, 86, 100, 121.).

Privilegia Mercaturae.

Federa auxiliaria.

§. CLXXXII. Oriebantur hinc novae Controverſiae, identidem componendae: quo referri debent Pacta a. 1436, 1438, 1441, 1443, 1446. (n. 43, 44, 47, 51, 56, 58.) et ſq. ſeculo Regis Galliae captivi Matris cum Anglis conſociatio adverſus CAROLVM V. Auſtriacum, a. 1525. d. 30. Aug. (n. 109.) de Rege relaxando, et de mutua *navigandi* et *piſcandi* libertate.

Compoſitae lites.

Dantur etiam peculiares Conventiones, veluti *de Pannis Anglicis* (*Engelſche Lakens*) a. 1452. d. 11. Iun. (n. 61.); de Iure *Stapulae Caletanae* (*Calais*) ad 12. annos, a. 1499. d. 18. Maii (n. 93.); de *Vectigalibus*, ſimilibusque, a. 1506, 15$\frac{15}{16}$. d. 15. Maii (n. 98, 104.).

§. CLXXXIII.

(40) MIERIS, *Charterboek van Holland*, T. I. p. 417, 446, 557. n. 1. 562, 566, 572. Cf. WAGENAAR, *Beſchrijving van Amſteldam*, T. IX. p. 407.

Digitized by Google

Federa Commercii.

§. CLXXXIII. Sed maxime omnium ſe manifeſtavit Anglorum ac Belgarum Conſuetudo, dicam an, Neceſſitudo ante liberam Rempublicam per *Federa Navigationis* et *Commercii*, in quibus de mutuis agebatur commodis. In his eminent celebre Pactum a. 1446. d. 4. Aug. (n. 59.) ad 12. annos; a. 14$\frac{67}{68}$. d. 5. Ian. ad 30. annos (n. 68.), novo Federe confirmatum a. 1474. d. 25. Iul. (n. 75.) a. 1478. d. 5. Mart. (n. 78.) et cum Friſiis de *Oostergoo* et *Westergoo*, qui hodie Federis Traiect. ſunt ſocii.

Post lites autem compoſitas denuo aliud initum est Fedus a. 1478. d. 12. Iul. (n. 79.) quo tandem inter EDVARDVM Regem Angliae et MARIAM BVRGVNDICAM, MAXIMILIANO AVSTRIACO nuptam, pro communi gentium utilitate, ex priori Federe denuo multa *Commercii* ac *Navigationis* capita ſanciuntur, nonnulla mutantur, alia demuntur vel ampliantur, praeſertim etiam cavetur *de libera et ſecura per mare piscatione*; quae ſtipulatio in omnibus id aetatis Federibus obvia, eo magis attendi meretur, quo graviores ſub libera Republ. *de iure piscandi* ac de *maris Dominio* controverſiae Anglos inter et Belgas flagrarunt.

Magnus intercurſus a. 1496.

§. CLXXXIV. Tandem post multa ultro citroque, ex nuptiis contractis vel contrahendis, ex mercaturae et lucri aemulatione, aliisque ex cauſſis actitata, ad componendas omnes, quae iterum ſuccreverant, Controverſias a. 14$\frac{95}{96}$. d. 24. Febr. (n. 89.) inter HENRICVM VII. Regem Angl. et PHILIPPVM PVLCRVM, CAROLI V. patrem, Belgarum Principem, coaluit celebre illud Fedus *Commercii*, vulgo Belgice, *'t Groot Com-*

Commercie-Tractaat, aliis *Magnus intercurſus*, *le Traité d'Entrecours*, quo qui utebantur, dicti *Mercatores Magni Intercurſus*, *de Koopluiden van de Entrecours*. Quod quum Belgis olim magni habitum, et ſub Republ. libera crebro ſit imploratum (41), primaria eius capita erunt indicanda.

Conſtat §§. XXXVI. in his — Eius Capita.

§. III. De mutuo adverſus hoſtes iuvamine.

§. IV—VI. De profugis ac rebellibus non receptandis.

§. IX. et XXXIV. De puniendo eo qui damnum dederit, vel Federis aliquam particulam violaverit, ſalvo integro Federe.

§. XV—XVII. De praedatoribus maritimis.

§. XXI, XXII. De libero navium vi tempeſtatis adactarum in portus introitu.

Denique §. X. de plena utrimque *Mercaturae* et *Commercii* Libertate per omne territorium, ſalvis ubique locorum *Statutis*.

Praeter hos vero Articulos, qui iam tunc ſolitos Mercaturae favores complectebantur, maxime memorabilis est §. XIV. quo *Libera Piscatura*, per modum *Pacti*, non vero, ut aliis cenſetur, *Privilegii* ſancitur (42).

§. XXIII.

(41) *Verbaal van de Ambasſadeurs onder* J. DE WIT, p. 655. ſqq. Cf. p. 241. ſq. *Brieven van* J. DE WIT, T. IV. p. 111, 125, 134, 150. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. IV. p. 298, 302.

(42) Verba Federis ſunt ſatis aperta: *Piscatores* VTRIVSQVE PARTIS *poterunt ubique ire, navigare,* *per*

§. XXIII. Prohibentur *merces hoſtiles navi amica vectae*.

§. XXIV. *Naufraga* merx et navis, *etiamſi vivum haud ſuperſit animal*, non propterea publicabuntur (43), ſed custodientur *per annum unum et diem tunc proxime et immediate ſequentem* (44). Intra hoc tempus domino, ſi adſit, reſtituentur, ſolutis expenſis.

Fideiusſores. Pro hoc Federe obſervando ex more istius aevi utrimque aliquot conſtituuntur ſponſores ſeu *Fideiusſores*, (*Conſervatores* hos vocabat aetas) ex ordine *Eccleſiastico*, *Nobilium* et *Vrbium*, viros primariae dignitatis. Quorum id aetatis hoc erat *onus* et *obligatio*, non vero *honos* vel *ius contrahendi*, ut aliis viſum (45).

Privatae quaeſtiones a. 1499. §. CLXXXV. Quum vero ex §. XXXIII. quaeſtio-

---

per mare ſecure piſcari, absque aliquo impedimento licentia ſeu ſalvo conductu. Et, ſi contingat, — — eos compelli in aliquem portum — — recipientur, — — ſolvendo iura et telonea.

(43) Sic paullatim ab pristino rigore recedebatur. Olim haec publicabantur. Deinde reſtitutio iniungebatur, dummodo in ipſa navi *vivum quid proſtet ſeu vir ſeu mulier*, *puer*, *canis*, *cattus*, *vel gallus*. Sic adhuc a. 1478. (n. 79.). De qua re CAP. VIII.

(44) Hodie formula *per annum et diem* aliter explicatur. Olim non ita.

(45) Haec exponere ſoleo in Praelectionibus meis ad *Primas Lineas Collegii Diplomatico-Hiſtorico-Politici*, §. 642. ſqq.

Digitized by Google

ſtiones *de iure Stapulae Caleſiae* (*Caletum* portus erat Gall. ſed in Dominio Anglorum) ex aequo componendae esſent per Mercatores; ſin minus, per Principes: ſecuta est a. 1499. d. 18. Maii (n. 93.) nova Conventio de hac *ſtapula* ad 12. annos, re magni tunc temporis momenti! Integrum Fedus renovatum est ſub CAROLO V. a. 15$\frac{15}{16}$. d. 13. Febr. (n. 104.).

§. CLXXXVI. Per haec Belgarum, uti Mercatura, ita et *piſcatura* extra controverſiam adeo poſita erat, ut orto inter CAROLVM V. Belgarum Principem et FRANCISCVM I. Regem Galliae bello, ipſe *Rex Angliae*, egregio profecto facinore et exemplo! bellantibus ſuaderet, ut ad levandam pauperum indigentiam ad tempus inter ſe convenirent *de tuta et libera durante bello in mari piſcatione*, (ex §. CXLVII.) utque praeterea cunctis *navibus* ac *mercatoribus* liber concedatur in alterius portus ingresſus, regresſus, commercium, bello non obſtante; id quod a. 1525. d. 14. Iul. (n. 108.) est prorogatum; interque ipſos Reges Galliae et Angliae pro ſemet quoque conſtitutum, eodem anno, (n. 109.). Piſcatura libera, Durante bello cum Gallis.

§. CLXXXVII. Intercedentibus novis ex captivitate Regis Gall. FRANCISCI I. ſimultatibus Pax inter CAROLVM V. et FRANCISCVM I. Regem Gall. est, ſociata (de qua ſupra §. CXLVII.) et eodem quoque a. 1529. d. 5. Aug. (n. 113.) inſtauratum iterum est cum HENRICO VIII. Rege Angl. Fedus *Pacis*, *Amicitiae*, ſimul et *Commercii*. Atque hac ratione, durante *Comitum* Imperio, penitus incolumis fuit Anglos inter et Belgas Pax, Amicitia, Mercatura, et Piſcatura. Novum Fedus a. 1529.

N §. CLXXXVIII.

Digitized by Google

Republica turbata, §. CLXXXVIII. Haec hactenus de utroque argumento *Pacis* atque *Commercii* ante Rempublicam liberam. Nunc ſeparatim, hoc Cap. de priore argumento. Occurrunt autem protinus Federa *Clientelaria* ſeu *inaequalia*. Omiſso hîc, quod per turbas civiles ex ratione *politica* Belgis parum profuit, Federe cum ELISABETHA Regina Clientelari et ſubſidiario a. 1578. d. 7. Ian. (n. 162.), longe felicius ſuccesſit alterum, non minus quidem *inaequale*, ſed magis proficuum. Republicâ nimirum nondum penitus conſtituta, et rebus per inopinatam WILHELMI I. Principis Arauſionenſis caedem a. 1584. vehementer anxiis, post oblatum, nec admisſum, cum Regi Gall., tum Reginae Angliae ſummum Belgarum, quod penes WILHELMVM fuerat, et amplius Imperium; OO. Feder. ab ELISABETHA obtinuere copias auxiliares peditum 5000 et 1000 Equitum, ex pacto a. 1585. d. 10. Aug. (n. 199.), iis interpoſitis legibus, §. II—V. et VII. ut pro expenſis in 5 proximos annos post Pacem ſolvendis, *pignoris* loco Reginae non modo darentur Oppida munita *Briel* in *Hollandia*, et *Vlisſinga* in *Zeelandia*, cum Walacriae Castello *Rammekens*, per Anglos milites tenenda §. VIII—X. ac praeſtito ab illis ex §. XI—XV. iureiurando cum Reginae tum OO. Belg., additis nonnullis de Religione et Regimine Capitibus: ſed etiam, ut, qui ex §. XVI. mitteretur ſummus *Praefectus Militaris* ſive *Gubernator*, non modo copiis Militaribus praeesſet, ſed *ſupremam* quoque haberet in omnibus *poteſtatem*; ac penes ipſum ac Senatum OO. Fedd. (*den Raad van Staten*) esſet (§. XVII, XVIII.) emendare, quae in percipiendis Vectigalibus, in ob-

Federa inaequalia.

Digitized by Google

obeundis Magiſtratuum functionibus, in diſpenſando publico aerario, et in reſtauranda re Monetaria irrepſerant vitia et abuſus, iidemque (§. XIX, XX.) non modo invigilarent conſervandae publicae auctoritati et diſciplinae militari, ex Gubernatorum aequalitate ac conſiliorum confuſione admodum collapſae, ſed qui etiam omnes res publici regiminis curarent, ſalvis ſingulorum Privilegiis, iuribus et publico Reformatae Religionis cultu.

Ex §. XVI. praeter locum et ſuffragium in Ordinum ſenatu *Gubernatori* illi *Generali* asſignatum, duo alii Primores Angliae ius *ſesſionis* in eodem OO. ſenatu haberent, et integrum erit aliis etiam ius ſedendi concedere in *Senatu Bellico*, ex conſilio Gubernatoris Gener. et Senatus OO. ſi res poſtularet. Nulla vero ex §. XXI. cum aliis *Pacta* vel *Federa*, nedum cum hoſte, Ordinibus Belgis inire liceat niſi conſentiente Regina. Idem pollicetur Regina. Cavetur porro §§. XXV, XXVIII—XXX. de *claſſe navali*, de *praeda dividenda*, de *iureiurando*, etc. deque componendis §. XXVII. inter Provincias Controverſiis per Gubernatorem Generalem cum Senatus OO. conſilio.

§. CLXXXIX. His ita transactis mittitur ſtatim Gubernator Generalis ROBERTVS DVDLEIVS, Leiceſtriae Comes, Reginae ab intimis; ſplendide recipitur, inauguratur, et mutuum praeſtatur ab eo et ab Ordinibus ſollemne *iusiurandum* (46). De

Mittitur Leiceſtrius.

(46) *Reſolutien van Holland*, a. 1586. d. 4. Febr. fol. 38.

Digitized by Google

De hac ſollemni inauguratione, de oblata deinde iusto maiore poteſtate; de ipſa publici Regiminis forma, de Reipubl. ſub eo conditione, de ſimultatibus, et exortis in eum odiis, de imperii abdicatione, et diſcesſu ex Belgio; exponunt Hiſtorici. Hic dixisſe ſufficiat, ex inaequali isto Pacto, duriore fortasſe quam pro opinione, vel ſic tamen maxime *utili* et *necesſario*, in primis tamen ex maiori in ipſum deinceps, quam pro vulgi opinione et aliorum ſcopo, collata Poteſtate (id quod paucis obſervatum) inſignes et diuturnas esſe ortas lites ac turbas.

Dimittitur, et ſequelae.

Post eius discesſum durabant controverſiae ex *locis oppigneratis*, ac *iure ſedendi* in Senatu OO. Quanti Reipubl. conſtiterit, ut ſolverentur Debita ex hoc auxilio contracta, et ut loca pignori obligata redderentur, docent Fedus a. 1598. de quo infra; Transactio a. 1608. d. 26. Iun. (n. 244.); Literae OO. obligatoriae a. 1608. d. 17. Sept. (n. 245.) ac totius Debiti Redemtio a. 1616. d. 16. Maii (n. 284.) conſilio et ope Syndici Hollandiae OLDENBARNEVELDII, post difficiles deliberationes procurata (47).

De iure vero *ſedendi* in OO. *ſenatu* manſerunt Controverſiae non modo ad a. 1626. ex quo non amplius admisſi ſunt Proceres Angliae, quorum ultimus fuit Legatus CARLETONIVS, ſed verixerunt adhuc a. 1668. (48).

§. CXC.

---

(47) Cf. RAPINI THOYRAS, *Hiſtoire de l'Angleterre*, T. VII. p. 108. ſqq.

(48) AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. II. p. 599. et T. XIV. p. 92. et *Hiſtoire des Traités*, T. I. p. 32.

§. CXC. Ad rem redeo. Durante pro libertate Bello, quum Galli et Angli a. 1596. d. 14. Maii (n. 213.) adverſus Hiſpanos coniurasſent, his ſeſe Belgae adiunxerant per Fedus *Offenſivum* et *Defenſivum* d. 31. Oct. (n. 214.). Sed Rex Galliae, inita ſeparata cum Hiſpanis a. 1598. pace (n. 219.) ſpem eluſit (ſupra §. CL.). Maior hinc ab Rege Hiſpan. metus, ipſaque Regina ELISABETHA ad Paçem pronior. Quum vero Reipublicae vires, cum iisque et honos et exiſtimatio in dies creſcerent, Ordines, oblatis Reginae ſplendidis, ſed, uti inter Gentes liberas fere convenit, ſatis honestis conditionibus inierunt *Fedus Westmonasterienſe* a. 1598. d. 16. Aug. (n. 223.) quo prius Fedus a. 1585. renovatur, exceptis iis quae ad Gubernatorem Gener. et publicae *adminiſtrationis communionem* faciebant, ſalvo tamen Reginae, durante bello, iure mittendi *ſenatorem* in OO. Senatum. Agnoſcunt Belgae inſignes quas Reginae debebant pecunias; definitur ſolvendi modus; promittit Princeps copias auxiliares. Contra Belgae §. VIII. ſuppeditabunt 30. naves Bellicas, ſi Rex Hiſpan. ipſam invadat. Si Regina vero Regem bello petat in Europa vel in India, §. X. Ordines tot naves bellicas adiungant, quot mitteret Regina. Idem ſtatuitur de Copiis *terrestribus*, ſi Flandriam vel Brabantiam petat.

Fedus primum aequale a. 1598.

Et hic iam agnoſcimus Belgas!

§. CXCI. Mortua ELISABETHA, haud ita prolixus IACOBI I. Regis favor fuit. Facta quidem est a. 1603. d. 30. Iul. (n. 231.) occulta inter ipſum et HENRICVM IV. Reg. Gall. conſociatio de Belgis adverſus Hiſpanos defendendis;

Nova ex Induciis Pacta.

diſ.; ſed Pax ſq. anno 1604. (n. 234.) cum R. Hiſpano ab eodem IACOBO ſociata omnem fructum inde ſperatum diſſipavit (49). Affulgente exinde in Belgio ſpe Pacis et agnoſcendae Libertatis, Rex, eodem die, quo de Debitis Pecuniariis tranſegit cum Republica a. 1608. d. 26. Iun. (n. 243.) non modo iniit Fedus *Pacis Fideiuſſorium* (*Garantie*) ſed *mutui* etiam *Auxilii* et *Defenſionis*, poſt initam cum Hiſp. *Pacem* valiturum (50); quo priſtina cum *Regina* confirmantur Federa. Poſt pactas vero, praeter opinionem, a. 1609. *Inducias*, illud quod *de Pace* promiſſum fuerat, itidem ad *Inducias* refertur ex novo Pacto a. 1609. d. 17. Iun. (n. 253.) per Legatos Galliae et Angliae in commune inito; in quo ſingulare illud promiſſum, §. II. ſi OO. durante *Induciarum* tempore turbentur *in Commercio verſus Indias*, extra limites §. IV.. *Induc.* praeſcriptos, Reges auxilio adfuturos. Qui favor ut compenſetur, OO. §. III. nullam eodem durante intervallo pacem inire promittunt ſine illorum conſenſu. Sic Belgae ab hac parte quieti! Vtinam ab internis diſſidiis etiam tunc manſiſſet quies!

Mercaturae aemulatio.

§. CXCII. Sed iam tunc quoque ſemina diſcordiarum ſparſa ſunt inter *Anglos* et *Belgas*, de *Mercaturae* ac *Maris Libertate*, de *Privilegiis Merca-*

to-

(49) Cf. RAPINI THOYRAS, *Hiſtoire de l'Angleterre*, T. VII. p. 58. ſq.

(50) Cuiusmodi etiam Rex Gall. a. 1608. d. 23. Ian. (§. CLII.).

torum, deque communi lucro ex Navigatione in *Indiam Orientalem* et ex *Inſulis Aromatitis* percipiendo; et de ſecuta proxime *Conſpiratione Amboinenſi*. Certe quod ad prius! huc iam collineant ſtipulationes in Transactione a. 1608. d. 26. Iun. qua conſtituuntur (§. IV—VI.) Delegati, qui tractent *de iure Commercii* et *Privilegiis*, quae ſibi Belgae *petebant*. Quod ad Orientem: docent hoc *Pacta Conventa* a. 1619. d. 22. Iun. et d. 17. Iul. (n. 293.) inter utramque *Societatem Indiae Orientalis*, de componendis Controverſiis et de posſidenda per 20. annos in commune *Inſula Amboina*, etc. idem docet ſubſecutum, quod Angli vocant, Facinus *Amboinenſe*, ſive ſevera ſupplicia illic ab Anglis conſpirantibus per Hollandos ſumta a. 1622. de quibus ſeparatim CAP. VI. ſed obiter hic tangendis, quia crebra de his mentio in ſqq. Federum Tabulis. Res Amboinenſis.

§. CXCIII. Finitis *Induciis* CAROLVS I. a. 1625. d. 2. Aug. (n. 316.) cum OO. Fedus iniit *Offenſivum* et *Defenſivum*, quo Belgae 20. naves adiungerent, ad 82. naves Anglicas, ad expugnandum oppidum *Gadir* (*Cadix*). Haec tamen clasſium coniunctio quum effectu careret, paullo post, d. 17. Sept. h. a. (n. 318.) aliud eiusdem indolis intercesſit ad annos 15. (vulgo *'t Tractaat van Zouthampton*). Federis occaſio erat Bellum, quod Angli Hiſpanis intulerant; id quod multa peculiaria pro istius aevi norma complectitur. Praeter mutua enim ſubſidia promisſa Reſp. opem fert Anglis a. 1625.

§. IX. Cavetur de *Praefectura* navali iunctis clasſibus, de *Vexillo* erigendo, de modo ac iure de-

deliberandi in ſenatu bellico navali, de Tribunali militari, etc.

§. XVIII, XIX. Aboletur omne ius in bona Naufraga.

§. XL. Sancitur, ut in *Navigandi* et *Commercandi* Libertate ſtent prioribus Fedd.

Praemiſſa tamen est ſollemnis Regis Angl. Proteſtatio d. 9. Sept. (n. 317.) de expiando *Facinore*, quod vocatur, *Amboinenſi*.

Eodemque anno, d. 9. Dec. (n. 320.) Belgae cum *Anglis* et *Danis* inierunt Fedus *Offenſivum* et *Defenſivum*, adverſus omnes, qui pacem Imperii German. turbarent, cuius finis potisſimum erat, ſeſe opponere conatibus Imperatoris: ſimul vero operam ut impenderent, (ex ſepar. Artic.) ut FREDERICVS Elector Palat. in posſesſionem ſui Principatus reſtitueretur. De qua re alibi.

Rex Angliae, facta cum Hispanis a. 1630. ſeparata Pace, parum deinde Reipubl. Belg. usque ad Pacem Monasterienſem contra Hispanos profuit, ſi non interdum vel disſimulando vel permittendo vel aliis ex cauſsis plus nocuit (a. 1637. ſq.). Salva tamen manſit amicitia, ſalva Privilegia; acceſſit et nexus per nuptias WILHELMI II. cum MARIA, CAROLI I. Regis filia a. 1640. unde Respublica tunc arctiori *Auxilii* et *Defenſionis* Federe Anglis ſe iungere ſatagebat (51).

Bellum cum Cromwello.

§. CXCIV. Post CAROLI I. Regicidium a. 1649.

---

(51) VITTORIO SIRI, *Mercure*, T. I. p. 383. ſqq. Ed. 8vo. a. 1756.

Digitized by Google

1649. (ab quo facinore OO. Belgarum Fedd. Anglos fanaticos prohibere fruſtra laboraverant (52)) OLIVARIVS CROMWELLVS, ſub ſpecioſo, qui ſaepe decipit, *Protectoris Libertatis Anglicae* titulo, omnem Imperii ſummam ſibi vindicarat. *Regno* igitur *Anglico* ad tempus in Reipubl. formam redacto; contra vero Republica Belgica per immaturam WILHELMI II. mortem capite ſuo ac Gubernatore, quo, ſi unquam, ex difficillimo cum maxime emerſa bello, indigebat, deſtituta: quot quantaque fuerint Anglorum conamina, ambas has Respublicas in unum quaſi corpus conflare, unoque iungere Imperio, narrant Hiſtorici et Acta Publica (n. 436.). Cognita Belgice res est ſub titulo: *De coalitie van de tweė Republieken Engeland en Nederland* (53).

Quum vero haec coniunctio haud ſuccederet, contra vero Belgae neutras inter *Parlamentum* et CAROLVM II. in Belgio commorantem partes ſervare, ut et priora Amicitiae ac Commercii Federa, bello et armis potiora, renovare ſatagerent, bellum tunc est ortum formidoloſum. De *veris* causſis non eadem omnia ſentiunt ipſi Britanni. Plures fortasſe concurrerunt. Sunt qui repetant ex ipſo CROMWELLO, ſunt qui in alia omnia diſcedant. Procerum certe in-

(52) AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. VI. p. 621. ſqq. 690. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XII. p. 33. ſqq.

(53) *Verbaal der Ambasſadeurs*, p. 143. ſqq. DE WIT, *Brieven*, T. V. p. 199. ſqq.

Digitized by Google

intererat, CROMWELLVM occupatum tenere. CROMWELLI vero, ut ne Respubl. Belgica quidquam ferret ſuppetiarum CAROLO II. Regis trucidati filio. Accedebat inſignis Mercaturae aemulatio; apparuit illa ex nobilisſima CROMWELLI *Lege Navali* (vulgo *de Acte van Navigatie*) a. 1651. d. 9. Oct. quae, etſi ad omnes extenſa Gentes maxime Belgas ſpectabat et premebat. Sed quidquid hoc est, non deërant varii Belli praetextus, deſumti ab *Doreslao*, ab *Waltero Strikland*, ab cauſſa *Amboinenſi*, quaeque alia peti posſunt ex Anglorum Declaratione a. 1652. d. 31. Iul. (n. 447.) quacum tamen conferri omnino debet fidelis Belgarum expoſitio (n. 448.). Prodiit eodem anno (n. 449.) Edictum OO. quo omne commercium cum Anglis prohibetur. Ineuntur Auxilii ferendi Conditiones cum Rege Gall. a. 1652 (n. 446.) ſed ab OO. ratae non habitae. Melius procesſit a. 1653. d. $\frac{8}{18}$. Febr. (n. 452.) Fedus *mutui Auxilii* cum *Rege Daniae*.

Duravit Bellum maritimum per biennium; praeclara in eo fuerunt merita TROMPII, RVITERI, SWEERSII, VAN GALEN. Magnis Respublica in angustiis per bellum inopinatum a. 1653. verſabatur, ex navium inopia (54). Diu tracta ſunt de Pace colloquia; ſcitu dignisſima. Tria postulabant Angli

---

(54) J. DE WIT, *Brieven*, T. V. p. 182, 223. ita, ut dolerent, post integri anni lapſum non ultra 30. naves parari potuisſe. Cf. p. 184, 206.

Digitized by Google

gli Capita, damni *Reparationem*, honoris *Satisfactionem*, et utriusque Gentis arctiorem *coniunctionem* atque pendentem inde ſecuritatem. Tandem a. 1654. d. 15. Apr. (n. 461.) coaluit celebre Fedus *Westmonasterienſe* (vulgo *'t Tractaat met* CROMWEL) quo multa vulgo ſtipulari ſolita, alia ex uſu et actis istius belli petita; alia de libertate Mercaturae, per omnes portus (55), ſalvis *Vectigalibus* atque utriusque Regionis *Legibus ac Statutis* §. XII, XVII, XVIII, XX. Pax a. 1654.

Sed inſunt quaedam maioris momenti:

Sic §§. VII—XI. utrimque promittitur, abſtinere omni auxilio ferendo *hostibus*, *rebellibus*, *profugis*, ſeu viris ſeu navibus, armis, apparatu bellico, pecunia, merce vetita, commeatu, fisco addicendis. Nec *profugi* recipientur (56).

§. XV. Federa inſcio altero non erunt ineunda.

§. XXX. Componendis Controverſiis in *India* Orientali, *Groenlandia*, *Ruſſia*, *Braſilia*, inde ab a. 1611—1652. agitatis, Arbitri capientur.

§. XXVII. Ius dicere promittunt OO. de conſciis *Facinoris Amboinenſis*. Sed maxima huic Federi celebritas acceſſit, ex §. XIII. *de honore vexilli* Navibus Angliae vel uni earum ab *Navibus Belgis*, im-

---

(55) Quid hinc ſibi petiverint Angli circa Navigationem per *fluv. Scaldem*, vid. *Verbaal der Ambasſadeurs*, p. 482. ſq.

(56) Deſumta quidem haec ex Federe a. 1496. §. I—V. Quo vero nunc ſpectarent, facile divinari ex istius temporis Hiſtoria poteſt.

Digitized by Google

immo *ab integris Claſſibus habendo in maribus Britannicis*.

Ex §. XXXII. Obligant ſe OO. GG. ut quem aut quos unquam *Gubernatores*, vel *terra marique Imperatores* conſtituant, hi in illud Fedus iurarent (57).

Acta Holl. de ſecludendo Gubernatore.

§. CXCV. Confecto Federe d. 15. Apr., OO. Holl., ſeparata tractatione, et articulo d. 4. Maii (n. 462.) CROMWELLO promiſerunt, ſe nullo unquam tempore *Principem Arauſionenſem*, (erat tunc WILHELMVS III. quatuor annorum puer), vel quemquam ex eius ſtirpe coöptaturos ſuae Provinciae Gubernatorem vel ſummum terra marique Imperatorem, neque ſuo ſuffragio Belgarum ſummum Militiae Praefectum conſtituturos (vocatur haec promiſſio vulgo *de Acte van Secluſie van de Princen van Oranje*). Arcana de his conſilia iam d. 10. Febr. ſubodorati videntur OO. Zeelandiae. Postquam autem hoc promisſum in vulgus emanavit, et omnibus etiam urbibus Hollandiae palam factum est; animos quantopere commoverit; quid contra dixerint urbes Holl. *Harlem*, *Leiden*, *Alcmaar*, *Enkhuiſen*, *Edam*; quid porro proteſtatae fuerint et in illud Holl. promisſum

(57) Plura petiisſe ferebatur CROMWELLVS, ſed Ordines GG. in mandatis dederant Legatis, ut ne verba laxius explicarentur; uti mihi innocuit non modo ex *Secretis* OO. Fedd. *Decretis*, ſed ex aliis *Secretisſimis* OO. GG. Literis ad Legatos extra ordinem miſſis; quas ſervo *authenticas*, nunquam editas.

Digitized by Google

ſum Scriptis et Decretis, *ſex* reliquae inſurrexerint *Provinciae*; quo modo nonnullae ex his ad reddendas rationes domum revocandos cenſuerint *Legatos Beverning* ac *Nieupoort*, Ordinum Holl. iuſſa ipſis inſciis exſecutos; quo pacto ſeſe excuſaverit *Beverningius*; ipſique OO. Holl. prolixa a. 1654., quae WITTII curae debetur, *Deductione* acta defenſarint ſua, certe *ius* ita *agendi* propugnaverint; quid vero contra haec conati ſint WILHELMI III. mater, avia, et *avunculus* Elector Brandeburg.; quae privatorum porro iudicia; quomodo denique ſub CAROLO II. Rege Angl. a. 1660. d. 29. Sept. ſollemni Ordines Holl. decreto hanc ipſam CROMWELLO datam Promiſſionem nullius valoris declaraverint: et quomodo Syndicus Holl. IOHAN DE WIT ſeſe excuſaverit, literasque illas obligatorias ab Rege Angl. repetierit, promiſſae inveniri per Cancellarium in *Documentis Regis defuncti* (ſic reſponſum!) non potuerint; et quomodo paullatim ille reſtitutionis ardor elanguerit: hîc accurate recenſere, prolixa nimis foret oratio.

De commodis hoc ex Federe ab utraque parte redundantibus, differunt iudicia. Hoc certum, nihil *de iure Piſcandi* nominatim eſſe ſtatutum: unde ingens deinde Controverſiae materia. Contra ex *Pactis Conventis* proxime ſecutis a. 1654. d. 30. Aug. (n. 465.) Indiae Belg. ſocietati nonnihil lucri. At aliunde inſignia damna! Belli effectus.

§. CXCVI. CAROLO II. Regis CAROLI I. filio in regnum reſtituto, durante tamen inſigni ex Mercatura inter utramque gentem aemulatione, renovata ſunt priora Federa, a. 1662. d. $\frac{4}{14}$. Sept. (n. 537.) cuius in Praefatione agnoſcuntur tamquam Renovatio Foederum a. 1662.

quam *Federis* fundamenta, mutua utriusque gentis commoda, Commerciorum ratio, eadem *religio*, et arctior nunc ſocianda coniunctio. Hoc in Fed. §. xv. agitur de reſtituenda Anglis inſula Poleron in Ind. Orient., de exſtinguendis omnibus controverſiis, damnis, iniuriis ante a. 16$\frac{58}{59}$. d. 20. Ian. per arbitros componendis. §. v—viii. de rebellibus et profugis §. x. de vexilli honore, et §. xxvii. de iureiurando ab Gubernatore, ſi quis eligatur, exigendo. Separatis Articulis convenit. 1. de bonis mobilibus Regis M. Brit. in Belgio ſervatis reſtituendis. 2. De tradendis nefarii parricidii CAROLI I. reis.

Nova belli flamma. §. CXCVII. Verum bello a. 1664. levisſimas ob *cauſſas* inter Belgas et CAROLVM II. Beneficiorum haud ſatis memorem exorto, haec in vanum abierunt conſilia. Veram istius belli causſam, quam ignorare ſe fatetur RAPIN THOYRAS (58); et quas plures ultro citroque narrant alii (59), aegre hauſeris ex mutua Belli Declaratione, (n. 562, 563.) OO. Fedd., belli non amantes, cauſam expoſuerunt ſuam, refutarunt Anglicam, ac communicarunt cum gentibus exteris, ut et illae iudicarent, an istius belli indignitatem meruerit Reſpublica.

Quae et alios accendit. Dedit hoc bellum anſam novis conſociationibus cum

---

(58) *Hiſtoire d'Angleterre*, T. IX. p. 221. ſqq.

(59) J. DE WIT, *Brieven*, T. IV. p. 345, 379. ſq. 409. ſq. 423, 431. add. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XIII. p. 143. et *Coniectur. in Praefat.* DE WIT, *Brieven*, T. III. p. 18.

cum auxilii tum ſubſidii ferendi cauſſa, cum *Danis Brandeburg.*, *Brunſvico-Luneburg.* (n. 568, 572, 579, 580.) cum *Suecis* a. 1666. M. Iun. (n. 586.) ſine effectu, uti et ante cum *Venetis* (n. 556.) Rex Gall. ut ex Federe a. 1662. ad opem ferendam erat obligatus, ſignius tamen aderat, et alia molitus moras nectebat usque ad a. 1666. d. 26. Ian. (n. 571.) neque clasſem ante a. 1667. M. Maio (n. 594.) quum Pax inſtaret, iungebat. Maius rei gerendae momentum adferebat *Fedus Quadruplex* (*Quadruple Alliantie*) a. 1666. d. 25. Oct. (n. 589.) inter *OO. Fedd.*, *Danos*, *Brandeburg.* et *Brunſvic.* postquam Episcopus Monaſterienſis, quem Angli hostem adverſus Rempublicam concitaverant, ad pacem coactus erat (n. 580, 582, 583, 584, 585, 587.).

Hoc Bellum, quamquam per biennium duntaxat flagravit, praeclara Belgarum Heroum facinora genuit; virtus TROMPII et RVITERI; conſilia WITTII; clasſis Britanna igne deleta, pugna ad Chattam. Occubuere ſumma belli laude Praefecti maritimi, viri praeclari WASSENAAR, KORTENAAR, VAN DER HVLST, CORNELIS et IOHANNES EVERTZEN. Capitur ASKVE, Anglorum praefectus. Praeclara Belgg. facinora.

Acerrimi tunc etiam in ipſo Reipubl. ſinu motus ex defectu *Gubernatoris*, dum quinque Provinciae acriter inſiſtunt creando ſummo Praefecto; renituntur D'ESTRADES et WITTIVS, qui tamen per mala conſilia D'ESTRADESII ac dilatam Regis Galliae opem ad incitas fere redigitur. Intimus eius amicus *Beverning* munere ſuo ſe abdicat. Superat post paullo WITTIVS difficultates, et Guber- Motus de Gubernatore.

ber-

bernatorem ex *Edicto perpetuo* ſecludendum et abiurandum in Hollandia curat (n. 599.).

Bellum componitur a. 1667. Poſt multa de *Pace* conſilia, conamina, et ancipitem de *loco agendi* disceptationem tandem electa est *Vrbs Bredana.* Interim Gallus nova conſilia adverſus Belgium Hiſpan. agitat, Belgasque vana ſpe lactat. Agitur diu de praeviis conditionibus, de locis utrimque reſtituendis, de libera ad oras M. Britanniae *piscatione*, de *Lege Navali* CROMWELLANA (*Acte van Navigatie*). Tandem Pax a 1667. d. $\frac{21}{31}$. Iul. (n. 597.) per amicam Regis Sueciae interceſſionem.

Ex hac Pace, praeter ſolitas conditiones §§. III–VII. omnia decernuntur ſecundum poſſeſſionem. §. XVIII. Libera ſancitur per Europam Mercatura, ſalvis *Vectigalibus* et populorum *Legibus.* §. IX. Res *Africae* et *Americae* ordinabuntur ex Feder. a. 1662. §. XIX. Cavent Angli de vexilli honore. §. XXXII. Bello exorto 6 menſium dantur induciae bonis privatorum. Ex §. XXXV. *Gubernator Generalis*, ſi quis coöptetur, maioris fidei cauſſa in huius Federis verba iurabit.

Pax diuturna usque ad a. 1780. §. CXCVIII. Ab hoc tempore, ſi duos annos Reipubl. fatales, a. 1672. ſq. excipias, nulla per centum et quod excedit annos cum Regibus M. Brit. fuerunt Bella; ſed contra plurima Federa *Amicitiae*, *Auxilii*, *Defenſionis*, *Commercii*, et id genus alia: quamquam, uti nunquam defuit mutua Mercaturae et Navigationis neceſſitas, ita etiam inſignis ſemper adfuit ſubditorum aemulatio, ex aemulatione invidia, ex invidia ſimultates, contentiones, gravamina, amice fere ſemper compoſita, vel ceſſante cauſſa exſtincta, usque

que ad infauſta Reipublicae tempora et disſidia a. 1780. ſqq.

Multa Defenſionis et auxilii Federa.

Vix inita Pax erat, quum ecce! novus ab Gallo, Belgium Hiſpanicum vindicare ſibi conante, armorum metus! Audita invaſione ſequitur ſtatim a. 1668. d. 23. Ian. (n. 602.) nova et arctior inter *Anglos* et *Belgas Confederatio*, qua non modo Pax *Bredana* confirmatur, ſed et auxilia ad mutuam defenſionem praeſtanda accuratius definiuntur. Adduntur tria ſeparata Capita, quibus cavetur de Pace inter *Gallos* et *Hiſpanos*, et *Hiſpanos* inter ac *Luſitanos* ſervanda, vel promovenda, ſi Rex Gall. vi armata *Belgium Hiſpanicum* invaderet. Quum autem ſociis duo esſent procuranda, ſcil. ut Rex Hiſp. conditiones, de quibus convenerat, acceptaret, contra Regis Gall. armis et ambitioni obex poneretur, clam eodem die (n. 603.) coaluit celebre illud et magni momenti *Fedus Triplex* (*de Triple Alliantie*) inter *Anglos*, *Belgas*, et *Suecos*; cuius duplex ſcopus *mutua defenſio* et *efficax Pacis inter Gallos et Hiſpanos promotio*. Hoc Fedus, quamquam prima ſpecie videri posſet Gallis proficuum, vehementer tamen Regi Gall. diſplicuit; contra vero toti Europae fuit gratisſimum. Illud autem, clam Legato Regio D'ESTRADES, inter Legatum Angl. W. TEMPLIVM ac IO. WITTIVM Holl. Syndicum intra 5 dies est acceleratum, tanta cum *feſtinatione* et *occultatione*, ut ne ipſis Provinciarum Ordinibus mirum dictu! innoteſceret, antequam ſubſcriberent. Secuta est Confirmatio Regis Sueciae d. 25. Apr. (n. 609, 611.) una cum promisſa *Garantia* eodem die (n. 610.) et d. 5. Oct. (n. 616.). Quomodo vero WITTIVS D'ESTRADESIVM bo-

a. 1668.

Digitized by Google

nis interim verbis luſerit, docent Literae D'ESTRADES. Ipſe Rex Gall. aliter, et ex merito, de iſto Federe iudicabat. Promittebant enim invicem partes contrahentes adigere Regem Hiſpan. ut Regis Gall. *poſtulatis*, quatenus cum eo convenerant ipſi, ſatisfaceret: et hactenus norat D'ESTRADESIVS! Sed ex adiectis *Secretis* Articulis, D'ESTRADESIO incognitis, vera Federis mens, et diſerta ſtipulatio erat, ut, niſi Rex Galliae his contentus eſſet, arma Hiſpanis iungerent, ac Gallum ad arma ponenda adigerent, ut ita in tuto collocaretur *Belgium Hiſpanicum*. Effectus ſcopo reſpondit; elapſis vix tribus menſibus, Rex ipſe Gall. a. 1668. d. $\frac{15}{25}$. Apr. (n. 608.) mente mutata cum *Anglis* et *Belgis*, de Pace inter ſemet et Hiſpanos promovenda, Conſilia et Fedus iniit. Haec promoventibus Belgis, a. 1668. d. 2. Maii (n. 612.) ſecuta eſt Pax Aquiſgranenſis inter LVDOVICVM XIV. Regem Gall. et CAROLVM II. Regem Hiſp. pro eaque ſervanda fideiuſſerunt OO. Belg., nec non Reges Angliae et Sueciae a. 1668. d. 7. et 9. Maii (n. 613.) et nova ſuperadditur Conventio de ſolvendis, quae Regi Sueciae promiſſa erant, ſubſidiis a. 1668. d. 5. Oct. (n. 616.) ex Federe (n. 609.) Triplici huic Federi a. 1669. acceſſit Rex Hiſpan., et fit ſociorum fideiuſſio pro ipſius ditionibus Belgicis (n. 617.). Ingens hinc Reipublicae Belgicae crevit honos et exiſtimatio.

Rex vero Galliae, depoſito ad tempus Belgii Hiſp. occupandi conſilio, non depoſuit tamen conflatum ex his in Belgas odium. Trahit in partes Regis Angliae miniſtros. Ineuntur inter ambos Reges arcana de invadenda *Republica* conſilia; initur

tur et arctius Fedus Offenſivum a. 1672. d. 16. Iul. (n. 648.). Hinc grave illud bellum, de quo ſupra! Inſignis tunc in Republica deſperatio. Audita vox: *Delenda Carthago.* Intercesſit Rex Hisp. opem fert a. 1671. d. 17. Dec. Belgis, et inito a. 1673. d. 30. Aug. (n. 664.) cum Republ. Federe, ſimul ex ſecreto Articulo (n. 665.) apud Anglos id agit, ut hi posthabitis cum Gallo Pactis, quaeque plura in Rempubl. duriora conſuluerant (n. 644, 650.) medio victoriae curſu Gallos deſerant, et *Pacem Westmon.* a. 1674. d. $\frac{9}{19}$. Febr. (n. a. 1674. 671.) ineant, quâ, praeter prioris Federis a. 1668. d. $\frac{13}{23}$. Ian. per 8 menſes inſtaurationem, nonnulla alia ſanciuntur, et quidem:

§. IV. Accuratius deſcribitur honos Navibus Britannis habendus.

§. V. et IX. Super controverſiis de *Colonia Surinam.* ex pacto a. 1667. et de Commercio in Indiam Orient. per arbitros ſtatuetur; addita ſingulari hac conditione, ut, ſi intra 3 menſes non conveniret, omne negotium Reginae Hisp. arbitrio compromitteretur.

§. X. OO. GG. Regi Angl. in 4 annos ſolvent *f* 800,000. Imperiales.

§. VIII. Per 9 menſes proximos valebit priſtinum Commercii Fedus a. 1668. De novo ineundo inibuntur intra 3 menſes Conſilia; alioquin et haec Hispanis demandanda!

Quae cauſſa Regem Angl. ad ſubitam hanc Pacem paucas intra horas concluſam, ſancte deinde ſervatam, et novo *Commercii Federe* eodem anno conſtabilitam, impulerit, diſſentiunt Scripp. An ex Belgii, turpiter afflicti, commiſeratione? ex metu in-

creſcentis nimium Gallorum potentiae? ex inſigni Mercaturae cum Belgis decremento? ex populi Britann. et Parlamenti refragantis impulſu? an ex favore WILHELMI III. qui post reſciſſum *Edictum perpetuum* a. 1667. in Proavorum dignitatem reſtitutus? an multae ſimul cauſſae concurrerunt?

a. 1677. et a. 1678. §. CXCIX. Gallo tamen haud eo ſegnius illud gerente bellum, cui magna pars Europae erat immixta, aequo deinde pede, pacis promovendae gratia, inita erat Conventio inter Regem Angl. et Rempubl. Belg. a. 1677. d. 31. Dec., ex hodierno calculo a. 1678. d. 10. Ian. (n. 701.) ſed ex defectu Ratihabitionis OO. Fedd. eius locum excepit aliud *mutuae Defenſionis* Fedus a. 1678. d. 3. Mart. (n. 704.) ſaepe deinceps renovatum, et *imploratum.*

Quum ne ſic quidem ad pacem moveretur Rex Gall., itum est in aliud Fedus *temporarium*, ſalvo priore, a. 1678. d. 26. Iul. (n. 707.) quo Rex Angl. pollicetur, niſi Rex Gall. ante d. 11. Aug. oblatas ab Belgis *Pacis* Conditiones acceptet, bello ſe Gallos petiturum. Sequitur die 10. Aug. a. 1678. *Pax Neomagenſis;* de qua ſupra. Fruſtra laborante Rege Gall. ut Fedus *mutuae Defenſionis* contraheret.

a. 1685. §. CC. Confirmavit Rex IACOBVS II. CAROLI *ſucceſſor*, priora Federa, cum *Defenſionis* tum *Commercii*, inde ab a. 1667—1678. inita, a. 1685. d. $\frac{17}{27}$. Aug. (n. 746.) quantumvis inter ſocietates Indicas de Mercatura excluſiva ingentes flagrabant rixae.

a. 1688. et a. 1689. §. CCI. Sub hoc IACOBO magna rerum Britannicarum converſio. WILHELMVS Arauſ., qui a. 1677. uxorem duxerat MARIAM STVARTAM,

IA-

Digitized by Google

IACOBI filiam, ab Anglis (cauſſas narrant ac disquirunt Hiſtorici et Politici) evocatur et imploratur; ipſe claſſe et opibus Belgarum adiuvatur (60); IACOBVS regno profugit; WILHELMVS Rex proclamatur; Reformatam Religionem Anglis aſſerit; eduntur ab WILHELMO et OO. Belg. publice cauſſae, cur Anglos adiuverint a. 1688. d. 10, 24, 28. Oct. (n. 757. ſq.) et Rex hac uſus poteſtate, Belgas proinde ex Federe a. 1678. d. 3. Mart. auxilia adverſus Gallum, novo illos bello petentem, rogantes, egregie iuvit (§. CLXVII.). Hac occaſione inita ſunt duo Pacta *temporaria* a. 1689. d. 29. Apr. et d. 23. Aug. (n. 763, 770, 776.) quorum poſterius eo magis obſervatu dignum, quod, praeter promiſſam claſſium et armorum coniunctionem, non modo civibus, ſed *exteris* etiam, interdicitur omni Commercio et Navigatione in Galliam. Raro utique exemplo, et quo ius gentium neutrarum laeſum exiſtimabatur (61).

Acceſſerunt alia Pacta priorum confirmatoria, de recuperandis navibus, de ſociis adſciscendis, a. 1689. d. 24. Aug., d. 20, 22. Oct. et d. 20. Dec. (n. 771, 772, 773.). Mitto alia durante iſto cum Gallis bello agitata et decreta, quae ad hoſtem profligandum et ad promovenda mutua commoda, vivente WILHELMO ac ſedulam Reipublicae Belg. cu-

(60) Expenſae in hanc Expeditionem Anglicam, per Belgas ad plus 7 *milliones* factae, ab Anglis deinde ſunt ſolutae.

(61) Cf. hoc de Fed. VATTEL, *le Droit des Gens*, L. III. §. CXII. p. m. 37.

curam agente, apprime fecerunt (n. 785, 786, 790, 791, 796, 798, 803, 806, 808.) usque ad Pacem Rysvicenſem a. 1697.

a. 1701. §. CCII. Vix ea Pax coaluit, quum ſtatim novus ex infirma CAROLI II. Regis Hisp. valitudine ab Gallis metus; nova iccireo cum Anglis et Rege WILHELMO III. conſilia, pacta conventa, immo cum ipſis *Gallis* de ſucceſſione Hispanica, pro rata parte, cautiones (n. 826, 828, 837, 838, 841, 844, 846, 848.) de quibus ſupra abunde. His vero parum iuvantibus, renovatum est a. 1701. d. 11. Nov. (n. 850.) Fedus mutuae defenſionis a. 1678. quo in primis hoc memorabile, quod §. III, IV. *caſus Federis* accuratius deſcribitur, ita ut talis habeatur non modo ipſa Invaſio, ſed, ſi vel arma vicinus paret, vel iustus adſit metus: ac praeterea ſancitur, ſpectandam magis esſe *materiam* ſeu *rem* ipſam, quam formam §. XI. utque in re maritima valeant Pacta a. 1689. d. 29. Apr. et d. 22. Oct., donec aliter conveniatur. Mitto minoris momenti Pacta conventa.

a. 1703. ſqq. Rege vero WILHELMO a. 1702. his intermortuo, postquam inter Anglos, Belgas, et Auſtriacos, d. 12. Apr. convenerat de Pace cum Gallis non ineunda, niſi vindicata ſit antea Galliae Regis iniuria de agnito Principe WALLIAE Rege M. Britanniae, renovata ſunt cum ſucceſſore Regina ANNA a. 1703. d. 9. Iun. omnia priora Federa, usque ad mortem WILHELMI inita (62); ubi ſancitur §. VI. ut

(62) Exſtant in *'t Groot Placaatboek*, T. V. p. 415. Cf. T. IV. p. 414.

ut poſt pacem ſociatam ea perpetuo etiam valeant.

§. CCIII. Tracto per plures annos bello ſociali a. 1709.
cum Gallis, omiſsis hic, quae in *ſecretis* exſtant OO. GG. *Archivis* iſto tempore valde opportuna (63), de armis iungendis, de praefectis militaribus, de copiis ſolvendis; et quae plura de his Angli et Belgae cum aliis gentibus iunxerunt conſilia et pactiones (n. 866, 867, 868, 875, 887, 893.) inſtaurata est a. 1709. d. 29. Oct. (n. 879.) virium coniunctio, mutuique auxilii promiſsio, qua Angli fidem ſuam interponunt, de praeſtanda limitum ſecuritate et de claudendis Oſtiis fluvii Scaldis ex Pace Monaſter., contra vero Belgae, de tuenda ſucceſsione Familiae Hanoveranae in M. Brit., et de repellendo *Pseudo-Succesſore* (vulgo *den Pretendent*). Aliud acceſsit inter eosdem et IOSEPHVM
Imper. Fedus *Neutralitatis* a. 1710. d. 31. Mart. a. 1710.
et d. 4. Aug. (n. 883, 885, 889.) pro tuenda Germaniae tranquillitate, occaſione belli Septemtrionalis (vulgo *de Noordſche Kryg*).

Quum autem durante bello ſociali, mutatis nonnullorum *Procerum* (64) Angliae animis metus es-

(63) Ad a. 1702. d. 20, 30. Iun. a. 1704. d. 13. Mart., d. 18. Apr. et d. 3. Maii. a. 1705. d. 31. Dec. a. 1706. d. 28. Iul. et d. 11, 17. Dec. a. 1708. d. 20. Apr. et a. 1709. d. 4. Apr. Dixi, exſtare in *Secretis* Ordd. Gener. *Archivis*, quorum demum notitiam, poſt editum *Indicem Chronologicum*, acceptam refero Viro cuidam de Patria et Republica optime merito.

(64) Cur dicam *Proceres*, vid. *l'Hiſtoire Secrète des In-*

eſſet, ne Angli ad ſeparatam cum Gallis Pacem in-
a. 1711. clinarent, priora Federa renovantur a. 1711. d. 22. Dec. ac ſimul ſtatuitur, ut ne Pax ſine communi conſenſu coaleſcat (65). Quod tamen non impediit, quo minus Regina, ab increſcente Domus Auſtriacae potentia ſibi metuens, aliisve de cauſſis, deſertis, quos hactenus ſtrenue adiuverat, ſociis, *Inducias* quadrimestres cum Gallis et Hiſpan. a. 1712. d. 19. Aug. (n. 902.) pangeret; quae quum viam ſternerent generali Paci, priusquam coaleſceret, novo ſe Federe fideiusſorio (Garantiae) ac
a. 1713. *Defenſivo* colligaverunt a. 1713. d. $\frac{19}{30}$. Ian. quo, post varia acta (n. 904.) Belgae de propugnaculo, Angli de ſucceſſione et mutuis auxiliis (66), ſimulque de non alienando Belgio Hiſpanico inter ſe caverunt.

Mortua Regina Rex GEORGIVS I. legitimus ſuc-

Intrigues de la France à Londres, a. 1713. Vol. III. 8vo. Add. STRVVII, *Corp. Hiſtor. German.* p. 1476. ſq.

(65) Exſtat DV MONT, *Corp. Dipl.* T. VIII. P. I. p. 288. *Groot Placaatboek*, T. V. p. 439. ſq. Dubitant tamen alii, an ab Republ. ſit ſancita?

(66) De obligatione ex hoc Fed. Belgis profluente, ortis inter Anglos et Gallos disſidiis, a. 1756. in Holl. inſignes fuere Controverſiae, Belgis tandem *Fedus Neutralitatis* amplexis. Exſtant in *Secretis OO. Holl. Regiſtris* a. 1756. d. 21. Maii et d. 25. Iun. Proteſtationes Ordinis Equestris et 3 urbium, et *Contraproteſtationes* aliarum. Quae quo iam tunc ſpectaverint, abunde fidem faciunt ea, quae noſtrâ aetate contigerunt.

Digitized by Google

ſucceſſor, a. 1716. d. $\frac{6}{17}$. Febr. (n. 940.) omnia priora *Pacis*, *Amicitiae*, *Confederationis*, *Navigationis*, et *Commerciorum Federa*, inde ab a. 1667. d. $\frac{21}{31}$. Iul. inſtauravit; etiam Fedus a. 1713. d. 30. Ian., ſalvis iis quae in Fed. *de Propugnaculo* (*Barriere*) a. 1715. d. 15. Nov. convenerant, pro quo Rex M. Britanniae fideiuſſit; ſi vero ſub quocumque praetextu alteruter *bello petatur*, opem praeſtabunt ex Fed. a. 1678. d. 3. Mart. ipſe vero *Caſus Federis* explicatur ex Pacto a. 1701. d. 11. Nov. §. III, IV. Idque utrimque deinde ſaepe est imploratum, et novo Federe corroboratum a. 1728. (67). Redintegrata inter Gallos, Anglos, Belgas, Amicitia, quum tamen ex diſſidiis inter Hispanos et Auſtriacos ingens eſſet metus turbandae Europae, ut Pax ſervaretur, initum est Hag. Com. inter Reges M. Britanniae, Galliae et OO. Belg. Feder. magni momenti Fedus Tripartitum, quo tamen, etſi *caſus Federis* extenſus quoque est ad *armorum* apparatum, vel ad *minas* belli intentatas (68), ipſa tamen *Garantia* et auxilii praeſtatio intra *Europae* limites reſtricta est, ex Artic. ſepar. a. 1717. d. 4. Ian. (n. 946.). Hoc anſam dedit celeberrimo illi *Federi Quadruplici* (*Quadruple Alliantie*) a. 1718. d. $\frac{22.\ \text{Iul.}}{2.\ \text{Aug.}}$ (n. 958.) dicto ab eo, quod, quamvis inter Imper.

a. 1716.

a. 1717.

(67) Quo reſpicit WAGENAAR, *Hiſtoriſche en Politieke Tractaten*, D. I. bl. 83.

(68) ROUSSET, *Recueil*, T. XIX. p. 422.

Digitized by Google

per. et Reges M. Brit. et Gall. duntaxat initum erat, Belgas tamen Fedd. ſimul includebat, qui et a. 1719. d. 31. Ian. acceſſerunt, quamquam artibus Legati Hiſpani *Ratihabitio* defecit (69).

a. 1726. §. CCIV. Quum autem ob *Societatem Oſtendanam*, quam contra Pactorum Tabulas erigere conabatur Imperator, novae in Europa naſcerentur Controverſiae; pluribus hae Fedd. anſam dederunt; acceſſerunt tunc Belgae Federi *Hanoverano* a. 1726. d. 9. Aug. (n. 979, 981.) adiecta denuo cautione de *Iure Praeſidii* et de *Subſidiis* ab Imper. ſolvendis: ita tamen ut elapſis 15 annis omnia redirent ad Fedus a. 1717. d. 4. Ian. et quae praeceſſerant. Addita ſunt *tria* Capita ſecreta,

1. De Belgis iuvandis, ſine ulla mora, ſi quando propterea quid noxae inferatur.

2. De libera Belgg. optione conſentiendi, ſi de ſervanda virium Europae aequalitate inter tres Reges agatur.

3. Salva ac poſita Belgii Auſtriaci ab omni *Commercio Indico* excluſione intra OO. GG. limites ex Pacis Monaſter. §. v, vi. Si tamen ob haec coniuncta Belgg. conamina Imperator detrectaret ſolvere ſubſidia ex Fed. Propugnac. a. 1715. debita, ſuam pro his fidem interponunt Reges Galliae et An-

(69) Omnem Hiſtoriam paucis complexus eſt STRUVIUS, *Corp. Hiſtor. German.* p. 1518. ſq. ROUSSET, *Recueil*, T. I. p. 167. ſqq. ubi de Nummo, ab Hiſp. cuſo cum Curru, cuius Epigraphe: *Siſtit adhuc, quarta deficiente rota.*

Angliae. Acceſſit eodem fine alterum inter Anglos, Gallos et Hiſpanos Fedus a. 1729. d. 9. Nov. a. 1729.
in Vrbe *Hiſpal.* (unde *le Traité de Seville*); cui et Belgae ſe ſocios adiunxerunt a. 1729. d. 21. Nov. (n. 991.). Nec non Fedus *Vindobonenſe*, inter Regem *Angliae* et Imper. CAROLVM VI. quo OO. Fedd. tamquam pars contrahens nominantur a. 1731. d. 16. Mart. (n. 599.) cuius pri- a. 1731.
maria erant Capita.

1. De tuenda *ſanctione Pragmatica* contra turbatores. (Hoc enim Galli detrectaverant).

2. De abolenda ſocietate *Oſtendana.*

3. De corroborando Federe *Propugnaculi* a. 1715.

Et huic OO. Belg. acceſſerunt a. 1732. d. 20. Febr. (n. 1003.) (70).

§. CCV. Orto deinde ex *ſanctione* Pragmatica a. 1744 – 1748.
ſervanda bello, ſupra memorato, inter Gallos et filiam CAROLI VI., egregia ſanequam Anglorum fuere auxilia; quo ſpectant Pacta (1038, 1042, 1049, 1057.) in primis Fedus ſubſidiarium a. 1748. d. 27. Ian. (n. 1062. ſq.) ex quo Rex Angliae, cum Rege Sardiniae, MARIA THERESIA, et Belgis, ab Gallo invaſis, vires iungunt ſuas, usque ad 192000 milites, ex quibus OO. conferrent 66000. quo Pax promota. Eodem tempore confirmata ſunt omnia priora cum Anglis Federa; ſimul et alia minoris momenti ſancita.

At-

(70) Atque adeo fidem etiam ſuam interpoſuere pro *Sanctione Pragmatica*, honeste deinde ſervatam. Vti Rex Angliae pro *Iure Praeſidii*, quod et praeſtare iterum promittit Imperator.

Digitized by Google

a. 1756. et a. 1780. ſqq. Atque ita per tot caſus bellicos, ac multa rerum discrimina, duas inter Gentes, Navigationis, ac Mercaturae, iuxta avidos et invidos, manſerat hoc ſeculo amicitia, ac nullo interrupta bello Federum conſociatio: unde vere per excell. dictae fuerunt *duae Gentes Maritimae*, usque ad haec ultima Reipubl. tempora. Verum quum haec omnia, iuxta et controverſiae a. 1756. ſqq. et Bellum a. 1780. Reipublicae conflatum, ex Mercaturae aemulatione inter gentes originem traxerint; dicam de his CAP. IV.

FEDERA CVM REGIBVS HISPANIAE.

Post Pacem Monaster. §. CCVI. Dixi CAP. I. et II. 1.) Controverſias de Tribunali bipartito. 2.) Transactiones de *limitibus*, in primis Flandricis. 3.) Belgarum conamina tuendi fines ſuos adverſus Gallos, ope *Praeſidii*. Praeter haec, ſi rem *Mercatoriam* exceperis, post Pacem equidem Monaster. parum cum Hispanis negotii intercesſit; nulla certe *Bella*; plurima vero Federa Auxilii, Fideiusſionis, et id genus alia.

Nulla bella; ſed mutua auxilia,

Durantibus inter Gallos et Hispanos disſidiis, de ſuppeditandis per Belgas (quibus ſemper in promtu erat pecunia) ſubſidiis pecuniariis varie actum; pro his Rex oppigneraret nonnulla Belgii Hispan. loca et oppida. Ita a. 1667. de 2, 3, 4 Millionibus deliberatum; a. 1668. d. 9. Apr. oppignerata Oppida et Munitiones *Argenteau*, *Navagne*, *Venlo*, *Gelra*, etc. Sed Pace mox ſecuta haec effectu caruere. *Belgae* tamen una cum *Anglis* et *Suecis* fidem ſuam de pace ſervanda a. 1668. d. 9. Maii (n. 612, 613.) interpoſuere, promisſis Hispano Re-

Regi auxiliis, ſi Rex Galliae Pacem violaret. Idem a. 1671. d. 17. Dec. (n. 631.) ex mutuo cum Hisp. Pacto promiſſum, addita a. 1672. d. 22. Febr. (n. 632.) ſtipulatione, de non pangendis cum Gallo Induciis niſi communi conſenſu. Vnde in bello Gallico egregia Regis Hisp. fuerunt merita et auxilia, ſimul ex adiecto *Federe Offenſivo* a. 1672. d. 6. Dec. ac mutui auxilii promiſſione ex Pactis una cum Imper. et Duce Lothar. a. 1673. d. 1. Iul. aliisque a. 1674. d. 20. Iun., d. 1. et 10. Iul. (n. 661, 676, 677, 678, 679.). Sed maxime memorabile est Fedus a. 1673. d. 30. Aug. (n. 664.) quo Regi promittitur *Moſa-Traiectum*, ſi bellum indiceret Gallis, addita ſecreta ſtipulatione (n. 665.) de Rege Angliae ab partibus Galliae abſtrahendo. Quod obtinuit; ut ſupra dictum. potiſſimum a. 1673.

Suam viciſſim operam Belgae Hispanis praeſtiterunt navalem a. 1675. in Rebellione partis Siciliae et Vrbis Meſſanae, quam Galli iuvabant: qua in expeditione occidit RVITERVS. Alia porro ſubſidia data contra Gallos, qui Belgium Hispan. invaſerant (71).

§. CCVII. Ita, qui olim tot per annos Belgas armis petiverant, nunc viciſſim a Belgis adiuti ſinceram, qualem inter gentes, dein coluere amicitiam, nunquam disruptam; immo post bellum ſociale a. 1702—1713. (quando Belgium Hispan. ad Domum Auſtriacam ſtirpis German. transiit), arctius novo cum Rege PHILIPPO V. Regis LVDOVICI XIV. ex Fedus Pacis a. 1714.

(71) *l'Hiſtoire des Traités*, T. II. p. 73.

ex filio nepote, coaluit Fedus *Pacis*, *Amicitiae*, ſimulque *Commercii* et *Navigationis*, a. 1714. d. 26. Iun., de quo ſq. CAP. Quod ad cauſſam praeſentem, §§. I—III. ſancitur Pax; actorum oblivio; reſtitutio bonorum iuris privati, etiam absque praevia iudicum ſententia. §. X. Renovatur Pax Monaſterienſis a. 1648. exceptis §§. V. et XVI. Ex §. XXXI. Rex Hisp. non permittet, ut quaepiam gens extera naviget in *Indias* Hispanicas; ſed tuebitur navigationem ex Legibus Hiſpan. fundamentalibus, qualis erat CAROLI II. tempore. Salvo tamen federe de ſervis (*l'Asſiento*). §. XXXIV. Navigatio Hiſpanica in Indias Belg. Fedd. eodem manebit pede quo tempore CAROLI II. Reg. Hisp.; eadem erit OO. in Inſulas Canaridum facultas. Inſuper Rex Hisp. §. XXXVII. ſpondet, non pasſurum ſeſe, ut Regna Hispan. et Galliae coniunctim posſideantur, quum ab horum ſeiunctione *pendeat totius Europae quies ac ſecuritas*. Sollemnes quoque utriusque ſtirpis *Renunciationes* a. 1712. d. 3. Iul. et d. 5. Nov. (n. 900.) defenſabit. Addita ſunt duo ſeparata capita

Pacis Capita.

1. De Debitis Pecuniariis ad *f* 4,100,352. in uſum Hiſpan. a. 1675, 1677, 1678. expenſis, cum uſuris ab a. 1682. d. 1. Ian.

2. De ſervanda Transactione cum Principe *Auriaco* a. 1687. d. 26. Dec. ſuper pecuniis inde ab a. 1696. non ſolutis.

§. CCVIII. Quid pro tuenda Europae Tranquillitate ex Federe Hispal. a. 1729. d. 9. Nov. (n. 991.) et OO. Fedd. d. 21. Nov. acceſſione, actum ſit, ſupra dixi. Nunc tantum obſervo, OO. Belgas ex iſta Acceſſione fidem ſuam tunc obligasſe pro

Digitized by Google

pro ſucceſſione *Infantis* (quem vocant) Hiſpanici in *Ducatum Parmenſem* et *Placentinum.*

§. CCIX. Ab isthoc tempore nihil quidquam, quod equidem ſciam, negotii (Mercatura et Controverſiis inde natis exceptis) interceſſit. Vivunt Gentes ex Pace Monasterienſi a. 1648. quatenus illud a. 1714. d. 26. Iun. §. x. est reſtauratum.

In reliquis vigent *Federa Commercii.* De quibus deinceps.

FEDERA CVM REGIBVS PORTVGALIAE.

Cum Luſitanis multa olim negotia.

§. CCX. Regnum Luſitaniae, durante Belgarum cum Rege Hiſp. bello, Hiſpanis ſubiectum (nam ab a. 1580. usque ad a. 1640. Regibus Hiſpan. paruit) maximo ſuo expertum est diſpendio, eſſe ſub Hiſpano, qui hostis erat Belgarum. Non enim *Hiſpania*, ſed *Luſitania*, poſſidebat Orientis et Occidentis Divitias, quarum ſpoliis ſe interim ditabant Belgae, qui hinc viribus animisque creſcebant ad hostem Hiſpanum ſuis ipſius armis profligandum. Naſcente igitur et adoleſcente Republica multum interceſſit negotii cum Luſitanis, vel ſi mavis cum Hiſpanis Luſitaniae imperantibus; vigente vero illâ, parum. Quidquid deinde gestum est, ſpectat ad res *extra Europam* in Oriente, in Africa, et America gestas; quas propterea ad CAP. VI. remitto. Post excuſſum a. 1640. Hiſpaniae iugum, obiter hîc memoro

1. Pactum *Induciarum*, *Navigationis* et *Commercii* in *Indias*, ad 10. annos, a. 1641. d. $\frac{12}{22}$. Iun. (n. 373.).

2. Temporariam illam Conventionem de Inſula *Ceilanenſi*, a. 1645. d. 27. Mart. (n. 389.)

3. Fe-

3. Fedus, mediatore Rege Angliae, de cedendo Luſitanis certa ſub lege omni Regno ac Regione Braſiliana, a. 1661. d. $\frac{6}{16}$. Aug. (n. 526.).

Post Fedus a. 1661. parum.

§. CCXI. Post Regnum *Braſileënſe* Belgis ademtum, nihil quidquam niſi hoc Amicitiae et Navigationis Fedus a. 1661. ſuperfuit, quod obortis hoc ſeculo de *Navigatione Guineënſi* controverſiis ab utraque parte est imploratum. Qua de re infra.

Rex Luſitaniae PETRVS II. postquam in bello *Sociali* a. 1701. adverſus Auſtriacos eorumque ſocios, Belgas, cum Regibus Gall. et Hisp., Federe Offenſivo conſpirasſet; mente ſubito mutata, a. 1703. d. 16. Maii (n. 867.) accesſit ad Fedus Hagan. a. 1701. d. 7. Sept. inter Belgas aliosque adverſus Gallos initum ad promovendam ac vindicandam Europae ſecuritatem atque quietem. Vnde adhuc a. 1762. d. 16. Sept. Rex Luſitan. OO. Feder. auxilium rogavit adverſus Hiſpanos.

FEDERA CVM IMPERATORE ET IMPERII GERMANICI PRINCIPIBVS.

§. CCXII. Transeo in Germaniam, et ad varios eius Principes.

Est vero Germania duplici modo conſideranda, vel tamquam integrum *Corpus* civile, quod conſtat *Capite* et *Membris*, vel tanquam *Complexus Principum* inter ſe liberorum, quorum primarius est *Imperator*, ſequuntur Electores, Duces, Principes, Comites.

Cum Imperio German., tamquam integro Corpore, haud facile iniri Federa *Amicitiae*, *Pacis*, *Commercii*, posſunt ob immenſam ſociorum, iurium,

rium, et commodorum, diverſitatem. Experta hoc eſt Reſpublica poſt Pacem Monaſterienſem, quum ex Federis Tabulis §. LIII. plenam Libertatem per Imperatorem et Imperii Comitia aſſertam vellet. De quibus ſupra §. CIV. Poſt hoc tempus parum Belgis negotii cum Imperio Rom. German. interceſſit, niſi quatenus ſalus Belgarum ipſius Germaniae intererat. Apparuit hoc in *Comitiis Bilefeldicis* de avertenda Regis Galliae in Belgium irruptione. Vnde natum eſt Fedus Defenſivum inter Directores Circuli *Weſtphal.* et Electorem *Brandeburg.* etc. in 6 annos, a. 1671. d. 7. Apr (n. 628.). Cum Imperio.

Interim dum in partes abirent ipſi Imperii Principes, Imperator invitabatur ad novum Fedus Belgarum Defenſ. cum Electore Brandeburg. ſed Imperator tergiverſatus ob Fedus a. 1671. d. 1. Nov. (n. 630.) cum Gallis initum, ex quo fidem dederat de non iuvandis Belgis, deſertis paullo poſt Galliae partibus a. 1672. d. $\frac{13}{23}$. Iun. (n. 645.) pro conſervanda Pace Weſtphalica, aliiſque negotiis, ſe iunxit Electori Brandeburg., ac ſtatim d. 25. Iul. (n. 651.) aliud cum Belgis Fedus iniit in 10 annos ad tuenda Federa, Weſtphalicum et Clivenſe, addita d. 22. Sept. (n. 654.) ulteriore de Copiis et ſubſidiis conferendis explicatione. Acceſſit a. 1672. d. $\frac{12}{22}$. Sept. (n. 654.) aliud Fedus Imperatoris cum Rege *Daniae*, Electore *Brandeburg.*, Ducibus *Brunsvico-Luneburg.* aliiſque, pro defendendis Belgarum Ditionibus. Cum Imperatore a. 1672. ſq.

Ex his Conventis Imperator et Elector Brandeburg. arma iunxere adverſus Gallos. Quum autem Elector, ut infra patebit, a. 1673. d. $\frac{6}{16}$. Iun. (n. 660.) permotus eſſet, ſeparatam cum Gallo Pa-

cem inire, nihiloſecius Imperator una cum Rege Hisp. d. 1. Iul. (n. 661.) arctiori ſe federe Belgis adiunxit a. 1673. d. 30. Aug. (n. 664.) promiſſis Reipubl. 30000 hominum, acceptis per menſes 45000 Imper.

Praeſtito hoc auxilio capta est a. 1674. Vrbs Bonna, et coacti Elector Colon. et Episcopus Monaster. Pacem inire cum OO. Fedd. a. 1674. Quo vero graviores Regi Gall. hostes ſuſcitarentur, longe plures Imperii Principes ad belli communionem ſollicitabantur, immo eo tandem perducta res est, ut bellum Gallis ab ipſo *Imperio* decerneretur. Vnde repetenda tot alia Federa, partim cum Imper. partim cum Belgis, nonnulla etiam cum utrisque a. 1674. concluſa, ut ſunt, cum Ducibus Brunsvico-Luneburg., Electore Palatino, Duce Neoburg., Rege Daniae, Electore Colon. et Episcopo Monaster., Osnabrug. et Duce Lotharing., de quibus ſeparatim. Hi omnes in 10 annos auxilia promiſerunt, omnes ea interiecta conditione, ut ne ſine ipſis Pax fieret: omnes tamen deinde conquesti ſunt, privatim eſſe factam *Pacem Neomag.* a. 1678. ſq. Hisce nunc iterum ſe iungit Elector. Brandeburg., inito a. 1674. d. $\frac{21. \text{Iun.}}{1. \text{Iul.}}$ (n. 677.) cum Imper., Hisp. et Belgis Federe de continuando adverſus Regem Gall. bello; is ſua vice ab Rege Sueciae per Gallos incitato invaſus Belgas Fedd. in auxilium vocat, eosdemque permovit, ut Suecis a. 1675. d. 15. Iun. (n. 688.) bellum declararent, ſalva *Commerciorum* libertate.

a. 1674.

Res in difficillimo illo nec minus cruento bello vel bellorum congerie gestas narrant Hiſtorici.

§. CCXIII.

§. CCXIII. Quum Rex Galliae a. 1688. novo bello Belgis illato, ſub praetextu cauſſae ſucceſſionis *Palatinae* et *Colonienſis* multis Germaniae locis inhiaret; Imper. LEOPOLDVS, denuo cum Belgis Fedd. Fedus *Offenſivum* et *Defenſivum* iniit a. 1689. d. 12. Maii (n. 765.) cuius §§. VI–VIII. conveniturr, ut, inita Pace, maneat Fedus Defenſivum contra Gallos perpetuo duraturum. Adiecta eſt ſeparata ſtipulatio de vindicanda Domus Auſtriacae in Hiſpaniam ſucceſſione. Quum acrius inſtaret Gallus, renovatum illud eſt a. 1690. d. 6. Iun. (72) nec non a. 1695. d. $\frac{8}{18}$. Aug. (n. 799.) eidemque adverſus impotentem Galliae Dominationem ſe adiunxerunt alii Imperii Principes. Res geſtae a. 1688.

§. CCXIV. Quae vero poſt initam Pacem Ryſvic. a. 1697. et ſecutum magnum Fedus (vulgo *de groote Alliantie*) a. 1701. d. 7. Sept. (n. 846.) inter Imper. LEOPOLDVM, Regem M. Brit. et OO. Belg. de prohibenda Coniunctione Monarchiae Hiſp. et Gall. ſecuta ſunt Federa et Pactiones: nec non, quae bellica negotia cum Imper. deinde fuerunt tamquam Familiae Auſtriacae Satore et Bonorum in Belgio Hiſp. herede, poſt dicta §§. LXXVII. ſqq. non repetam. Et deinceps.

De Federibus, quae cum Principibus Imperii Germanici interceſſerunt, dicturus, poſthabito Electorum aliorumque ordine, pro maiore cum Republ. neceſſitudine ac vicinia, dicam primo loco

FE-

(72) DV MONT, *Corp. Dipl.* T. VII. P. II. p. 268.

FEDERA CVM REGE BORVSSIAE.

Regis Boruſſiae Controverſiae §. CCXV. Supra delibavi plura Pacta Conventa, orta ex *Controverſiis Territorialibus* Cliviae, Ooſtfriſiae, Gelriae ſuperioris; alias Controverſias Subſidiarias, Pecuniarias, et de hereditate Principis Arauſionenſis, cum Electore Brandeburgico, hodie Rege Boruſſiae. Cum eodem *Pacis* et *Commercii Federa*, proprie dicta, hactenus dantur nulla. *Auxilii* vero ac mutui *Subſidii* exſtant plura.

et Federa.

a. 1655. §. CCXVI. Sic ſtatim a Pace Monaſterienſi, Rege Sueciae Electori arma intentante, Belgae, bellum CROMWELLIANVM vixdum eluctati, arctiſſimo mutui *Auxilii* et *Defenſionis* Federe a. 1655. d. 27. Iul. (n. 471.) adverſus Suecos ſe coniunxerunt. Cuius tamen, per ſeparatam Electoris cum Rege transactionem a. 1656. d. 7. Ian. exiguus fuit fructus; magna vero Belgarum conquerendi materies, et iniqui de Electore ſermones (73).

a. 1666. §. CCXVII. Alio in Bello cum Episcopo Monaster., fomitem addente Rege Angliae egregia fuit Electoris opera, ex inito Federe Clivenſi Defenſivo a. 1666. d. $\frac{6}{16}$. Febr. in 12. annos, (n. 579.) ex quo Belgae in ſe recipiunt tutandas ditiones Clivenſes, Boruſſiam et Pomeraniam ulteriorem; ſua vice Elector Provincias Belgicas, earumque in mari Balthico commercia. Cavetur ſimul de li-

(73) Rem narrat WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XII. p. 435. nec diſſimulat PVFENDORFIVS, *Rer. Brandenburg.* L. V. p. 234, 287.

Digitized by Google

libero Commercio, Vectigalibus, iure emigrandi, libera militum conſcriptione, etc. Adduntur (n. 580.) alia adverſus molimina Episcopi Monaſterienſis.

§. CCXVIII. Mitto hic *Acta* ex *Federe Quadruplici* a. 1666. d. 25. Oct. (n. 589.) et praeſtitam adverſus Gallos opem ex Federe a. 1667. d. $\frac{6}{16}$. Ian. (n. 590.) et deinde a. 1672. d. $\frac{26.\ Apr.}{6.\ Maii}$ (n. 641.), quo tamen bello rebus minus proſpere Electori fluentibus, a. 16 3. d. 6. Iun. (n. 660.) ſeparatam cum Gallis pacem iniit, Belgis indignantibus. Postquam vero Respubl. initis cum Hispanis, cum Imperatore, et Lotharingis, Federibus (n. 661, 664, 666, 668.) novos iterum animos viresque ſibi conciliavit: post irritas Pacis tractationes Colonienſes, post invaſum ab Gallis Palatinatum, Elector Fedus cum Belgis inſtauravit a. 1674. d. $\frac{21.\ Iun.}{1.\ Iul.}$ (n. 677.) adiunctis Imper. et Rege Hispano; cuius ſcopus erat Reſtauratio Pacis univerſalis. Sueci ab Gallis incitati Electorem petunt, Belgasque ab auxilio ferendo avertere conantur, qui tamen Federis memores Bellum a. 1675. d. 15. Iun. Regi Sueciae indicunt (n. 688.). Elector parum iuvat. Illi ſumtuum magnitudine fatiſcentes, monito Electore, cum eoque novo inito Federe *Defenſivo* et *Subſidiario*, etiam extra Europam extenſo, et ad 10. annos duraturo, a. 1678. d. 8. Mart. (n. 703.) Pacem ſeparatam cum Gallis ineunt d. 10. Aug. (§. CLXIV.).

a. 1667. et a. 1672. ſqq.

Fedus Defenſionis a. 1678.

§. CCXIX. Ex ſeparata hac Pace ingens Principum offenſio, ac proteſtatio, in primis etiam Ele-

Electoris (n. 711.) (74), qui ſua vice id aegre tulit, et a. 1679. d. 29. Iun. pacem ferire cum Gallis cogitur.

Alia Acta ſq. temp. §. CCXX. Quae Electoris fuerint partes in novis motibus ab Gallis excitatis a. 1684. quae contra fruſtra molitus ſit AVAVXIVS, ne a. 1685. d. $\frac{11.}{21.}$ Aug. (n. 745.) prius Fedus a. 1678. renovaretur; et quomodo ſub FREDERICO III. ſucceſſore a. 1688. d. 30. Iun. (n. 754.) idem Fedus confirmatum ſit usque ad a. 1700., quaeque praeterea Electoris ac *Primi Regis* Boruſſiae fuerint partes in bello ſociali ex novo Federe a. $\frac{1701.}{1702.}$ d. $\frac{30.\ Dec.}{10.\ Ian.}$ ſupra ſatis expoſui.

Respublica nuper intus afflicta §. CCXXI. Ab hoc inde tempore Respubl. ſinceram cum Rege Boruſſiae coluit Amicitiam. Rebus nuper in ipſa Republ. turpiter turbatis, et domo Arauſiaca oppreſſa, Rex FREDERICVS II. multum operae impendit, ut turbae amice componerentur. Quum autem Res Belgarum in eo iam eſſent loco, ut Federis Traiectini, quod omnes Belgas conſtrictos tenebat, vinculum disrumperetur (75); Iuvatur egregie. eius ſucceſſor FREDERICVS WILHELMVS, conſiliis cum Rege *Angliae* collatis, tacite acquieſcente Re-

(74) Rerum momenta utrimque expoſuit WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XV. p. 18. et PVFENDORFII, *Rer. Brandeburg.* L. XVII. §. 70. ſqq.

(75) Tamquam iam ruptum, atque adeo diſſolutam Rempublicam, conſideratum volebant nonnulli; uti fidem faciunt *Decreta* et *Propoſitiones* hoc de negotio in Conciliis factae.

Digitized by Google

Rege Galliae, a. 1787. M. Septembri labanti patriae tempeſtive (76) ſuccurrit, Demagogorum conſilia intervertit, ipſos in fugam compulit, armatas civium cohortes diſſipavit, Rempublicam legitimo ſuo Magiſtratui reſtituit; verbo: armata manu quietem Reipublicae reddidit. Amplisſimae pro iis Regi Borusſiae ab OO. Fedd. gratiae ſunt actae; eique Respublica arctiore mutuae Defenſionis atque Auxilii Federe ad 20. annos ſe iunxit a. 1788. d. 15. Apr. (n. 1264.): de quibus infra. Nunc tantum moneo, §. III. cautum esſe de ope invicem ferenda adverſus *Gentes Europaeas* quacumque Orbis parte: ita tamen, ex §§. IV. et V. ut Ordines GG. pro *milite* pecunias dare posſint, excepto ſi Regis posſesſiones intra Viſurgim et Moſam invadantur. Si vero OO. petantur claſſe navali vel posſesſiones Transmarinae, optio erit Regi, velitne ſuccurrere copiis an opibus. §. VI. Si communi bello implicantur, omnia *belli pacisque* negotia communi conſenſu erunt tractanda. §. VII. Sermo fit de ineundo Federe *Commercii*. §. VIII. De terminandis, quae de limitibus ſuperſunt, Controverſiis per Delegatos. Fitque tandem §. IX, fideiusſio (*garantie*) pro ſartis tectis conſervandis Legibus Belgarum fundamentalibus per OO. et Gubernatorem.

Fedus Defenſionis a. 1788.

FE-

(76) Inita enim iam erant conſilia de aquis per effosſos aggeres in Hollandiam immittendis; quorum pars ad effectum revera perducta est circa Amſtelodamum. Testantur de his Acta publica.

FEDERA CVM REGE BOHEMIAE.

Rex Bohemiae.

§. CCXXII. Quousque ſe olim Belgae rebus Bohemicis immiſcuerint, quando regno duas in partes diſtracto, mutuis inter ſe odiis certantibus *Catholicis* et *Proteſtantibus*, pars altera Regem eligeret FREDERICVM V. Elect. Palat., Regis Angliae IACOBI I. generum, et MAVRITII Princ. Auriac. ex ſorore nepotem, pugna vero edita et accepta ſtrage in Hollandiam fugientem; narrant ſcripp. (77).

FEDERA CVM ELECTORE COLONIENSI, CETT.

Elector Colonienſis.

§. CCXXIII. Quum inde ab a. 1583. usque ad a. 1650. et deinde iterum a. 1683—1688. idem fuerit *Elector Colonienſis* qui *Episcopus Monaſterienſis*, quocum plura intercesſerunt negotia, obiter hîc tantum monendum, quod nonnulla a. 1717. d. 22, 28. Iun. et d. 28. Iul. (n. 949.) de *Bonna* et *Huyo*; alia a. 1722. d. 4. et 22. Iun. (n. 966.) de tranſitu copiarum; et a. 1784. d. 30. Oct. (n. 1236.) de alendis in uſum OO. militibus tranſacta ſunt. Taceo hîc de bello Colonienſi a. 1584.; de oppido *Rynberk*; de iure OO. Fedd.; de querelis Electoris a. 1667. compoſitis a. 1674. (n. 674, 675.).

§. CCXXIV.

(77) Ex Belgis Vid. AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. I. p. 120. ſqq. 623. ſqq. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. X. p. 399. ſqq. ex Germ. STRVVIVS, *Corp. Hiſtor. German.* p. 1205, 1215. ſqq.

Digitized by Google

§. CCXXIV. Cum Electoribus *Bavariae*, *Saxoniae*, *Palatinis*, quae interceſſerunt Pacta *Stipendiaria* et *Subſidiaria* dicam CAP. VII. Bavariae, cett.

Cum Electore *Palatino* FREDERICO V. a. 1614. d. 23. Dec. (n. 280.) initum Pactum est, et a. 1618. (n. 290.) renovatum, ex quo Ordines ipſum *Bohemiae Regem* agnoverunt.

De tutandis ditionibus *Iuliac. Clivenſ.* etc. in favorem heredis proximi ſuas etiam habuit Conſociationis partes a. 1610. (n. 260.).

§. CCXXV. Maioris momenti fuerunt arma ab *Episcopo Monasterienſi*, nominatim ab CHRISTOPHORO BERNHARDO, famoſa voce nostris in Annalibus cognito BAREND VAN GALEN, Reipublicae aliunde turbatae vel anxiae non ſemel illata. Bellum compoſitum, etiam opera et interceſſione aliorum Principum (n. 579, 580, 584, 585.) a. 1666. d. 18. Apr. (n. 583, 587.). Alterum post multa damna Reipublicae illſata, a. 1674. d. 22. Apr. et a. 1675. d. 16. Oct. (n. 673, 674, 690.) quo posteriore arctius ſe Belgis et Regi Hispaniae iunxit adverſus Gallos; quamquam mutata ſubito mente in Gallos iterum proclivior ex Pacto a. 1676. d. 23. Maii (n. 695.). Mitto acceſſiones ad *Magnum Fedus* a. 1691. et 1695. (n. 781, 798, 800.) et alia. Episcopo Monasterienſi.

§. CCXXVI. Quae et qualia cum Ducibus *Brunsvico-Luneburgenſibus* acta ſunt, docent *Federa* et *Conventiones*, quorum exſtat recenſus, ut priora mittam, ab a. 1665. d. 9. Sept. a. 1666. d. 25. Oct. a. 1668. d. 16. Mart. a. 1672. d. 22. Sept. a. 1674. d. 20. Iun. a. 1675. d. 26. Ian. et M. Maio, a. 1691, d. 14. Maii, a. 1692. d. Duces Brunsvico-Luneburgenſes.

Digitized by Google

22. Mart., 30. Iun. et 22. Dec. a. 1694. d. 12. Aug. a. 1695. d. 18. Aug. a. 1696. d. 24. Mart. et 14. Maii, a. 1697. d. 19. Apr. a. 1701. d. 8. Ian. et 28. Apr. a. 1703. d 27. Ian. a. 1705. d. 15. Iun. a. 1706. d. 17. Iun. et 26. Nov. a. 1708. d. 20. Apr. a. 1709. d. 4. Apr. et 31. Dec. a. 1745. d. 11. Febr. a. 1746. d. 8. Iun. a. 1748. d. 3. Apr. a. 1788. d. 22. Febr. aliaque cum edita tum inedita, quorum hic illic iniicitur mentio, et quibus hi Duces vel accedebant aliarum Gentium cum Belgarum Republica Pactionibus, vel *Garantiam* interponebant ſuam, vel quid ſtatuebant de Defenſione mutua, de copiis comparandis, de alendis militibus, vel de reddendis Deſertoribus: et id genus ſimilia.

Idem fere dixeris de aliis Imperii Germanici principibus, quos ſilentio praetermitto.

FEDERA CVM REGIBVS DANIAE.

Rex Daniae cett. §. CCXXVII. Quum Mercatura Borealis, ut et Navigatio Maris Balthici (Belgis *de Oostzee*) exerceri nequeat niſi per ſinum eiusdem Maris, qui duplex est, vulgo *de groote en de kleine Belt*, vel per Fretum *Sundicum*, (vulgo *de Sond*, *of de Oriſont*); haec vero Freta et ipſum *Mare Balthicum* et eius oras accolant *Dani*, *Sueci*, *Ruſſi*, aliaeque gentes conterminae: hinc Belgae, ex quo tempore navigatio eo inſtitui coepit (coepit autem mature) amicitiam, potisſimum Regum Daniae Sueciaeque, enixe coluerunt; et, praeter Privilegia ab Danis quaeſita, multa de Libertate Navigandi, de mutuo Commercio, de Vectigalibus, de Ligno pe-

petendo, etc. Federa inierunt; idem de *Suecis* dici potest. Quum autem et haec, et quae praeterea intercesſere Pacta amicitiae, ſtipendiaria, auxiliaria, immo bellica, omnia, ex hoc Navigationis fonte derivanda ſint, iccirco haec ad ſq. Caput differo, una cum negotiis quamplurimis, quae Reipublicae iam olim intercesſerunt cum Imperio Rusſorum, Perſarum, Polonorum, Turcarum, Republica Veneta, aliisque Italiae Principibus, etc.

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

SISTENS

FEDERA COMMERCII ET NAVIGATIONIS CVM GENTIBVS EVROPAEIS, INDE AB PRIMA BELGARVM AETATE.

Mercaturae ratio

§. CCXXVIII. Respublica Belgica, ſi ad *Mercaturam* ſpectas, fuit ea Belgarum Principum filia et alumna, pulcerrima iuxta ac ditisſima ſponſa; ſed quae domi male mulcata, parentes eluctata, viribus deinceps ſuis atque induſtria ſe ſuſtentans, multis olim petita procis, nemini praeda futura, ab omnibus profecit: adultam porro attingens aetatem, honeſte et magnifice in publicum prodiit (78): paul-

(78) Fidem fere ſuperant, quae de Belgis habentur in D'ESTRADES, *Brieven*, T. III. p. 141. Ipſe Rex Gall. a. 1665. recenſet 8000 ad 10000 naves Mercatorias Belgarum ſuis in portubus, iisdemque 10 modo vel 12 Gallorum opponebantur Belgium petentes. De congestis vero Belgarum divitiis quam magnifice ſentiret ipſe Rex, *ibid.* T. IV. p. 8. T. VI. p. 182.

Digitized by Google

paullatim vero permultos experta eſt aemulos; tandem ſeneſcens, et vetulae inſtar, multis hodie eget adminiculis et ſuſtentaculis, quibus primo aetatis flore et vigore carere facile potuit. Vel ſic tamen, tanta hodiedum apud exteros, ac iure ſuo! Belgarum *Mercaturae* laus eſt atque exiſtimatio, ut Belgas *hodiernos* vocare *Phoenicios* haud dedignentur populi (79). Hac ſtante Mercatura, ſtabit Reſpubl. hac prolabente, ruet. Non mirum igitur quod Mercaturae ratio, ſi non omnem, primariam certe Procerum curam exigat, eademque inſignem *Federum* Belgii noſtri partem abſorbeat, illam praeſertim, quae *navigatione* abſolvitur.

Haec Belgarum Mercatura medio aevo erat nulla; nec poterat eſſe. Obſtabant, uti in aliis, hic etiam variae cauſſae; in his tetrica Europae facies, feroces Gentium mores; exterorum excurſiones, depraedationes; ſevera in peregrinos edicta; inſignis rei numariae penuria; neglecta agricultura, et artes manuariae. Prima *Navigationis*, ad *Septemtrionem*, *Commercii* cauſſa inſtitutae, occaſio repetenda videtur ab *Hanſa Teutonica*, ſeu Confederatione *Vrbium Hanſeaticarum*, ſeculo XIII. medio inita. Ad *Occidentem* vero ab populis Italiae, gente ſcil. Veneta et Genuenſi Republica. Iſtis tamen temporibus *Privilegiis* potius ac *Legibus*, quam *Pactis*, negotia inter Gentes tranſigebantur. ab prima Belgarum aetate.

De

(79) VON STEK, Verſuch über Handels- und Schiffahrtsverträge, p. 145.

Promota, De his ad ſingulas Gentes ſeparatim dicam. Nunc in genere obſervo, Belgas Principes, et in his potiſsimum Hollandos, mature ſuae proſpexiſse Mercaturae,

per Privilegia. 1. Per *Privilegia*; qualia ab Comitibus Hollandiae iam olim ad alliciendos Mercatores conceſsa fuerunt, Oppidis Tranſiſalaniae a. 1276, 1309, 1363. (n. 1, 7, 22.) Mercatoribus Germanis et Oostlandis a. 1313. (n. 8.) a. 1327. (n. 12.) a. 1363. (n. 21.) Oostfriſiis a. 1351. (n. 19.) Borusſis a. 1340. (n. 17.) Anglis a. 1309. (80) a. 1314. (n. 10.) a. 1382. (81) a. 1391. (n. 26.) Scotis a. 1410, 1412. (n. 29, 34, 36.) Luſitanis a. 1390. (n. 25, 29, 55.) Ripenſibus in Dania a. 1416. (n. 33.). Et generatim omnibus a. 1434. (n. 41.). Sed et ſua vice Principes exteri horum Comitum ſubiectis varia dabant Privilegia, non aliter atque hodie adhuc Turcis in more est; ſic Rex Angliae, a. 1313, 1341, 1407, 1428. (n. 9, 18, 28, 39.) Rex Sueciae a. 1368. (n. 23.) Ericus Dux Saxoniae a. 1414. (n. 31.) etc.

Per Leges ſalutares. 2. Per Leges et Edicta generalia; quibus principe loco fidem faciunt edicta MAXIMILIANI tamquam Tutoris PHILIPPI PVLCRI a. 1487. d. 8. Ian. (n. 83.) et CAROLI V. a. 1540. d. 27. Dec. et a. 1549. d. 29. Ian. (n. 120, 134.) (82) per

(80) MIERIS, *Charterboek der Graven van Holland*; T. II. p. 87.

(81) *Ibid.* T. III. p. 383.

(82) De quibus conſ. *Codex Legum Maritimarum*, vul-

per quae Belgarum Mercaturae et Navigationi hi Principes egregie conſuluerunt, ita ut etiam CAROLVS V. flagrante cum Gallis bello libertatem piſcandi ſubditis ſuis, Belgis, ex pacto ſtipularetur (n. 106.).

3. Quod ad *Federa*; de his priusquam dico (dicam autem de priſtinis etiam Federibus ante Rempublicam liberam) paucula de *naturali*, ſine his quoque, *navigandi* et *commercandi libertate* praemittam. Per Federa.

§. CCXXIX. *Navigatio* nempe et *Mercatura*, ſua natura cuique homini, cuique genti, libera eſt et licita: neque alteri in alteram gentem ius eſt. Eſtque ea, ſi ad uſum hodiernum ſpectes, ſatis ampla, plena, et perfecta; nec arceantur alii ab eius exercitio. Naturalis Mercaturae Libertas.

Vel ſic tamen ex eadem Gentium *libertate* nusquam ea ſatis tuta eſt, nec ei cautum ſatis; ſiquidem ab altera parte ſingulis gentibus ius eſt, de ipſa Mercatura, de eius exercitio, de conditionibus, modoque, in *ſuo Territorio* ſtatuere; huic illive genti prae aliis favere vel limites ponere, niſi obſtent *Pacta* et *Federa*, quibus talia facere mutuo conſenſu prohibeantur. Eius reſtrictio.

Quemadmodum autem haec Gentium libertas, de re ſua ſtatuendi, generatim quotidiano rerum uſu apparet ex tot Principum Edictis, Legibus Navalibus, Reſcriptis; ita ſpeciatim hodiedum tribus ſe exſerit caſibus primariis; e. g. quando

1. Vel

vulgo *Recueil van de Placaten, Ordonnantien*, etc. *op de Admiraliteiten en Zeezaken*, T. III. p. 1, 23, 33.

1. Vel penitus vel maxima ex parte arcentur peregrini ab Coloniis Gentium Europaearum alioríum deductis.

2. Arcentur ab locis quibusdam nominatim exceptis, e. g. ab oris Inſulae *Islandicae*, *Groenlandiae*, *Ferroë*, etc.

3. Vel Merces nonnullae plane prohibentur, vel onera et vectigalia graviora ipſis imponuntur vel duriora, quam ut his ſeſe aliae ſubiiciant gentes vel mercatores.

Federum Neceſſitas.

§. CCXXX. Quo minus igitur haec et id genus alia fiant, opus est Federibus *Commercii*. Haec autem vel partem efficiunt *Federum Pacis*, *Amicitiae*, *Auxilii* et *Defenſionis*, vel ſeparatim et de induſtria hunc in finem ineuntur.

Priori caſu gentes verbis vulgo generalibus, vel ſtipulantur defenſionem, tutelam, promotionem, Navigationis et Mercaturae, vel ſpondent nova *Commercii* Federa ineunda, ac determinant, quid interim factu opus ſit.

Posteriora ſunt vel *Generalia* vel ad actum aliquem adſtricta; cuius generis est *Fedus d'Asſiento*, (de ſervis coëmendis).

Suntque vel *perpetua* vel ad *tempus* duratura. Quae posteriora Belgis vulgo praeferuntur.

Finis eorum.

§. CCXXXI. *Finis* eorum eſſe debet, ut *utilia* quaedam et *certa* iura contrahentibus concilient. Ob ſolam enim Mercaturae *libertatem* et *ſecuritatem* ut ineantur, hodie vix opus est. De illa enim, *iure Gentium*, de hac vero, in *Pacis*, *Defenſionis*, vel *Amicitiae Fedd.*, ubi adſunt, ſatis plerumque cautum est.

Mercaturae ſpecies.

§. CCXXXII. Quod ad indolem Mercaturae Bel-

Belgarum! est ea, uti aliis, ita Belgis triplex. Conſtat enim 1. Mercium *importatione*, 2. *exportatione*, 3. *transvectione*, quae aliis *transportatio*, vel *mercatura Oeconomica*, Belg. vulgo *Vrachthandel.*

Quae postrema quum Belgis inexhauſtus ſemper fuerit Divitiarum fons; hinc praeter ea, 1. quae hodie perpauca, florentibus olim Opificiis, *plura*, noſtrum ſuppeditat Territorium; 2. quae ex vario *piscaturae* genere lucramur, et 3. quae ope *Coloniarum* ex Indiis advehimus; hanc tueri *Transvectionem* Belgarum maxime intereſt (83). Sed de his ſingillatim dicam CAP. VIII.

§. CCXXXIII. Interim quae de re Mercatoria ſcripta proſtant egregia cum apud exteros tum in primis apud Belgas, in his quae de *Federibus Commercii* cauſſa initis eorumque requiſitis agunt, hîc quammaxime in cenſum veniant neceſſe est. Sed de his coram exponam. Scriptores.

FE-

(83) Et quomodo et qua ratione iam ab prima aetate hanc tutati ſint, in laudem Gentis nostrae graphice depinxit CH. JENKINSON, p. 24. ſq. Praefat. ad Librum Anglic. *A Collection of all the Treaties of Peace Alliance and Commerce between Great-Brittain and other Powers*, Lond. 1772. 3 Voll. 8vo. Quae Praefatio complectitur *a discours* (a. 1757.) *on the conduct of the Governement of Great-Britain in reſpect to Neutral Nations.*

FEDERA COMMERCII ET NAVIGATIONIS CVM REGIBVS GALLIAE.

Cum Gallis prisca Mercatura.

§. CCXXXIV. Omnis Mercaturae et Navigandi Libertatis ratio, ut generatim, ita iam olim cum *Gallis*, abſolvebatur vel *Privilegiis* vel *Edictis*; acceſſere deinde *Pacta Conventa*.

Ex Privilegiis et Edictis.

Privilegia varii erant generis (84). Inter *Edicta* maxime eminet *Lex Navalis* Regis Galliae a. 1584. ad quam ſaepe deinde provocatum eſt, qua *Merces hoſtiles*, navi amica repertae, merces etiam amicas, eadem navi vectas, confiſcationi ſubiiciebant, ex Reg. *La Robe d'ennemi confiſque celle d'ami.*

Ex Pactis.

§. CCXXXV. Quod ad *Federa:* ſub Principibus Belgis (vid. ſupra §. CXLVI.) verbis plerumque generalibus Galli et Belgae invicem ſtipulabantur *libertatem navigandi*, *piſcandi*, *mercaturam exercendi.* Neque aliter valuit haec ſtipulatio libera quidem Republ., ſed durante adhuc bello Hiſpan. inde ab a. 1596. d. 31. Oct. uſque ad a. 1627. (n. 214, 242, 308, 326.). Sed haec obiter duntaxat fiebant occaſione initae *Pacis* vel *Auxilii* promiſſi.

Primum Fedus a. 1646.

§. CCXXXVI. Primum veri nominis *Fedus Commercii*, certe *Navigationis*, initum eſt a. 1646. d. 18. Apr. (n. 398.). Occaſio Federis haec erat. Durante cum Hiſpanis bello, Gallo egregiam opem Bel-

(84) Nonnulla recenſuit WAGENAAR, *Beſchryving van Amſteldam*, D. IX. bl. 404.

Belgis ferente, naves Belgicae multum apparatus bellici et merces vetitas (*Contrabanden*) ad hoſtem communem advexerant. Publicabantur Belgarum Naves ex *Regula Legis Gallicae* a. 1584. Hinc querelae! Adfulgente ſpe Pacis Monaſterienſis, ne Belgis hoc amplius fraudi esſet, et commune lucrum promoveretur, initum est hoc *Commercii Fedus*, cuius

§. I. In quadriennium *ſuspenditur* Regium Edictum a. 1584., interpoſitâ ſtipulatione, ut Belgg. Naves, munitae *literis* quas vocant *patentibus* ſummi Praefecti Maritimi (*Amiraal Generaal*) liberum redderent *omne onus* ſuum, etiamſi *merces* veherent *hostium*; id quod Belgica voce dici coepit *vry ſchip*, *vry goed*, (libera navi, libera merx,) exceptis duntaxat, quae illic recenſentur, *Vetitis*, iuxta et iis, quae ad portus obſesſos deſtinantur.

§. II. Iccirco utrimque interdicitur transvectione omnis *Apparatus* bellici. Quae ſi fiat, omnia praedae forent, *navigia*, *apparatus*, *merces*.

§. III, IV. Naves Belg. Mercatoriae pleno mari vel ad oras exteras navibus Regiis bellicis obviae, demisſo maiore aplustri vel ſupparo, facultatem dabunt viſendi literas apertas, et inquirendi, an quid *vetiti* vehant. De damno vero dato cavebunt Navium Praefecti.

§. V, VI. Si qua praeda, in hoſtium poteſtatem per bis 24 horas redacta, recuperetur, obſervabitur §. LXI. Edicti a. 1584. Idem ius Belgis esto.

§. CCXXXVII. Facta Pace Monaſterienſi ſine Gallo, inverſa ſcena est; corruerant priora Federa (vid. §. CLVII.) corruit etiam vel certe cesſavit a. 1650. hoc *Fedus Commercii in quadriennium* ini- Corruit illud.

 tum.

tum. Statim igitur Rex Gall., bello cum Hiſpanis adhuc (85) implicitus, novo Edicto Navali a. 1650. d. 1. Febr. (n. 431.) *Naves Belgicas* merce hoſtili oneratas invadit, et *merces* ac *naves* publicat. Paucos intra annos, per Gallicam depraedationem, numerus navium captarum creverat ad 328. Multae hinc querelae, odia, offenſiones, retorſiones, naves Gallorum Bellicae captae; Edicta in utramque partem ſevera, prohibitoria; immo belli metus! Sed intercedente Legato THVANO, omnes hi fluctus, ad tempus ſunt compoſiti, magis ex Transactione et Edictis ultro citroque promulgatis a. 1657. d. 9. et 17. Aug. (n. 487.) quam ex ſollemni *Federe* (86) quibus ſimul ſtatutum, ut, donec de Federe *Commercii* et *Navigationis* conveniretur, ad 3 interim menſes obſervaretur *Fedus Navigationis* a. 1655. d. 10. Maii (n. 469.) inter urbes *Hanſeaticas* et *Regem Gall.* ſociatum (§. CLX.).

Rex vexat naves Belgicas.

Res componuntur a. 1657.

Neque tamen illud Fedus ante Pacem *Pyrenaeam* coaluit. Volebat quidem Gallus Belgas iſti Paci incluſos literis ſeparatis, iisdemque mactatos commodis et Privilegiis, quibus ex §. CXXII. fruerentur reliqui Regis ſocii; et ita obtinuit a. 1661. (n. 520.)

Nova conamina.

§. CCXXXVIII. Verum alia longe res eſt in Principe, ſeria mentis declaratio, in diem tamen mutabilis, velle ſe alias gentes iisdem frui Beneficiis in

(85) AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. VII. p. 50. l. 2.

(86) Improprie enim vocatur *een Tractaat*, AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. VIII. p. 824.

Digitized by Google

in alios collatis. Alia res, ad haec *mutuo* conſtringi *Federe*, et ad ea obſervanda, per datae certe *fidei* religionem, adſtringi. Quidquid hoc est; malebant Belgae *Fedus*.

§. CCXXXIX. Superandae tamen erant graves difficultates, ex Lege Gallica de Vectigali 50. Solid. aliisque *de cauſſis*. Metuente autem Rege, ne exteri omne lucrum per Federa cum Belgis averterent, coaluit tandem Fedus *Commercii* et *Navigationis* a. 1662. d. 27. Apr. (n. 532.). Et fuit hoc Libera Republica primum veri nominis cum Gallis *Fedus Commercii*, post contracta iam alia cum *Suecis* a. 1614. cum *Danis* a. 1645. cum *Hiſpanis* a. 1650. cum *Anglis* a. 1654. etc. Federa.

Primum veri nominis Fedus a. 1662.

§. CCXL. Hoc vero Fedus, in 25 annos duraturum, quum omnium deinde ſecutorum fuerit fundamentum et ſtipulandi norma, paullo plenius hic explicandum. Conſtat §§. LII. Vocatur Fedus *Amicitiae*, *Confederationis*, *Commercii* et *Navigationis*. Et ſane ex hoc Federe mutua defendendi et opitulandi Obligatio (87); (vid. §. CLXI.).

§. IV, V. Extenditur autem defenſio nominatim ad omnia iura *Navigationis*, *Commerciorum* et *Piſcaturae* (88), iure GG. et Pactis Conventis permis-

Eius capita primaria.

(87) Quam tamen, exorto paullo post cum Anglis bello, Rex Gall. Belgio Hiſpanico ipſe inhians, et huius Federis poenitentia, quantum ad auxilia, ductus, non praeſtitit.

(88) Haec una vox *Piſcatura* quantopere Regem M. Brit. offenderit, et quanti conſtiterit, ut Federi inſe-

 ra-

Digitized by Google

miſſa, quaeſita, vel quaerenda: et fit communis belli alea contra quoslibet turbatores.

§. XVI, XVII. Nulla navium privata erit captura, vel violatio; nec dabuntur *Repreſaliarum* literae (*lettres de Marque*) niſi ſolo in caſu *denegatae iuſtitiae*. Nec arresto detinebuntur *bona privata* pro debitis *publicis*.

§. XIX, XX. Exceptis *vetitis* libera erit omnium mercium per totam Europam terra marique transvectio, ſalvis ſolitis vectigalibus, non gravioribus tamen iis quam ab indigenis ſolvuntur. Excipitur ſola olei Balaenarum in Galliam invectio, durante Privilegio Societati Indiae Orientalis ab Rege conceſſo.

§. XXI, XXII, XXIV. Cavetur de navibus Bellicis portus intrantibus, praedam apportantibus; et de mercatoriis per tempeſtatem advectis, et Mercatorum libertate.

§. XXIII. Exſtinguitur Ius Albinagii.

§. XXV. Prohibetur omnis bonorum, mercium, perſonarum detentio, quacumque lege, colore, ne ob publicam quidem ſalutem; niſi conſenſu et pretio ſoluto (89). Salvis tamen iuris cauſſis.

§. XXVI.

---

ratur, vid. D'ESTRADES, *Brieven*, T. I. p. 277. ſqq. (MAUBERT) *Hiſtoire Politique du Siècle*, Cap. XI. p. 363. ſ. J. DE WIT, *Brieven*, paſſim ad a. 1660. ſq.

(89) Quanti haec ſtipulatio Belgis fuerit momenti, confici potest ex inſigni navium Belg. numero, quem in Gall. portubus habebant, de quo ſupra. Pretium etiam mercium, quae navibus Belg. ex Gallia vehebantur,

Digitized by Google

§. xxvi. Libera erit Gallorum mercatura iis etiam in locis et eas apud gentes, quibuscum Belgis non bene convenit.

§. xxvii — xxix. Excipiuntur tamen ſemper *merces vetitae*, et recenſentur, quae pro talibus habendae, quae minus (90).

§. xxx — xxxiii. Modus, quo merces *licitas* ad alterius hostes vehere liceat, determinatur, ratione *literarum* et *viſitationis.*

§. xxxiv, xxxix, xl, xli. Modus has *vetitas* prenſandi et publicandi coram Tribunali vel certo Iudice, ſalvis tamen navi et mercibus licitis.

§. xxxv. Quidquid mercium, etiam licitarum, ab

---

tur, a. 1658. computabatur ad 35, aliis 45. *Milliones.* Vid. AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. IX. p. 241. et T. X. p. 305. D'ESTRADES, *Lettres*, T. I. p. 274. ſq.

(90) Has ratione Fedd. Gall. ſemel ſuo nomine hic recenſebo. *Vetitis* accenſentur: *toutes ſortes d'Armes à Feu, & autres asſortiments d'icelles, comme Canons, Musquets, Mortiers, Petards, Bombes, Grenades, Sausſiſes, Cercles poisſez, Affuts, Fourchettes, Bandeliers, Poudre, Mêſches, Salpêtre, Balles, Piques, Epées, Morions, Casques, Cuirasſes, Hellebardes, Javelines, Chevaux, Selles de cheval, Fourreau de Pistolets, Baudriers, & autres asſortiments ſervant à l'uſage de la Guerre.* Merci licitae accenſentur nominatim: *Les Froments, Bleds & autres Grains, Legumes, Huiles, Vins, Sel, ny generalement tout ce qui apartient à la nourriture & ſuſtentation de la vie.* Ab harum tamen libera vectione excipiuntur *des Villes & Places asſiegées, blocquées ou inveſties.*

Digitized by Google

ab Gallis vehatur *navi hoſtili*, una cum navi publicabitur. Quidquid vero mercis, etiam hoſtilis, amica navi vehatur, libera eius erit transvectio, exceptis ſemper vetitis (91).

§. XXXVI—XXXVIII. Eadem omnia circa Belgarum Merces iura erunt adverſus Gallos. Ne quid vero damni deinceps fiat, *praefecti navium* et *praedatores* utrimque Cautiones praeſtabunt *de non laedendo*, antequam e portu ſolvant.

§. XXXIX—XLII. Cavetur de *Tribunalibus*, *Appellationibus* et *Reviſionibus*, ſuper praeda et mercibus commiſsis.

§. XLIII. Licita erit navium et apparatus bellici coëmtio, in utriusque territorio, hostibus vero prohibita.

§. XLIV. Cavetur de bonis Naufragis, eorumque cura et iure.

§. XLV. De piratis maritimis non admittendis, appulſis vero puniendis, et capta praeda.

§. XLVI, XLVII. De admittendis *advocatis*, et ſic dictis *Conſulibus* mercantium commodis invigilaturis.

§. XLVIII. Nulla in portu vel ora ſocii admittetur captura navis ab alterius hoste.

§. XLIX. Libera erunt cum alterius hoste Subditorum Commercia; ſed neutra gens hostem iuvabit *militibus*, *navibus*, *pecunia*, *annona*, et *bellico apparatu*.

§. L.

---

(91) Sanciuntur igitur hic duae illae Regulae, de quibus CAP. VIII. pluribus, quas Belgae vocant: *onvry ſchip*, *onvry goed*; *vry ſchip*, *vry goed*.

§. L. Sollemniter declarant Rex et OO. GG. nullis ſe prohiberi Fedd. cum aliis, quo minus haec bona fide obſervent.

§. LI. ſq. Durabit Fedus per 25 annos (a. 1687.). Quod ſi, ex illo durante, praeſtari debeant Auxilia, durabit integrum Fedus, quamdiu bellum duret.

§. CCXLI. In his autem, et, qui adduntur, ſeparatis Articulis, penitus ſiletur de *Vectigali* 50 ſolidorum (vulgo *cinquante ſous par tonneau*), quod ut ſupprimeretur, Belgis admodum cordi erat. Maluit Rex ob rationes de eo ſeparatim transigere. Sancitum igitur, ut §. XX. nihil derogaret *Vectigali* 50 ſolidorum, niſi aliter Regi ex benivolentia viſum foret: hac tamen interiecta moderatione, ut ſemel tantum per iter, et ubi disceditur ex portu, ſolvatur; eo vero penitus exemtae ſint Naves *ſale* onustae: dummodo ne plus exigant OO. Vectigal 50 ſolidorum.

§. CCXLII. Sed hoc Pactum Belgis parum profuit (§. CLXIII.); et exorto a. 1672. cum Gallis bello penitus cesſavit. Inita Pace Neomag. eodem die 10. Aug. a. 1678. (n. 708.) novum *Commercii* Fedus coaluit; iterum ad 25 annos duraturum, iterum parum ſancte obſervatum. Abſolvitur §§. XXXVIII. Cenſent nonnulli, illud omni ex parte convenire cum priore. Periculum ſi facias, dicendum erit, ex §. XXII. Regulam: *libera navi libera merx*, etiam extendi ad *hostes vectos*, excipi vero ſolos *Milites, qui hosti revera ſerviant.* Sed et tempus *belli inchoati*, pro locorum intervallo, definitur; et induciae exorto iam bello Mercatoribus conceduntur ad 9 menſes; quae priori Federe 6 duntaxat menſium erant. Pace facta a. 1678. Fedus Novum.

De Vectigalibus vero maior in tractando fuerat difficultas, quoniam Rex a. 1664. novam Mercium et Vectigalium Matriculam, (vulgo *Toltarif*) confecerat, ab qua ut recederet, aegre impetratum.

Rumpitur. §. CCXLIII. Verum et hoc non valuit diutius quam ad a. 1688. (§. CLXVII.). Quum igitur Pax Rysvicenſis iniretur, eodem die 20. Sept. a. 1697. (n. 812.) novum ſuccesſit Commercii Fedus ad annos 25. Conſtat §§. XLV. in quibus multa mutata, ampliata, confirmata. Maxime differt §. XXXIX. ab prioris §. XXXIV. in eo, quod non admittantur *Conſules Maritimi* in portubus; ſi qui vero mittantur *ministri*, hi in ſola Principis Curia conſidebunt.

Novum Fedus a. 1697.

Addita et alia Capita §§. VIII—XII, XLIII, XLV. Quorum

§. VIII. Cavetur de pecunia ancoraria, ſimilibusque.

§. IX. De libera per Mare Mediterraneum navigatione verſus Portus Gallicos (vulgo *de Levantſche Handel*).

§. X. Libera erit Belgis advectio Halecis.

Accedunt duo capita Belgis utilia. 1. Exſtinctio Vectigalis 50 ſolidorum, et 2. confecta a. 1699. (n. 834.). Matricula mercium. De Piscatione etiam nonnulla ſuperadiecta ſunt (n. 814, 835.).

Iterum ficta Pace a. 1713. §. CCXLIV. Sed et hoc Fedus non amplius duravit quam ad novum, quod a. 1702. exarſit, bellum, quo exſtincto, denuo a. 1713. d. 11. Apr. (n. 911, 917.) ad 25 annos ſuccesſit *Fedus Commercii*, quod, ſi ſolam *Matriculae promisſae* mentionem exceperis, verbo tenus conſentit cum *Rysvi-*

vicenſi; eſtque unicum illud, quod per 25 annos incolume duravit, et a. 1739. d. 21. Dec. renovatum est (n. 1018.), mutato tamen rerum ordine, adiectis etiam vel mutatis nonnullis. Permittitur §. IX. Halecis in Galliam invectio. Sed §. XLV. onera in poſterum erunt ſolvenda ex nova *Matricula*, quae eodem die confecta est (n. 1019.). Renovatum a. 1739.

§. CCXLV. Ex hoc Mercium Indice, (qui §§. XVI. conſtat) ſtipulantur §. VII. ut pro indicato Mercium pretio publicanis merces ſibi vindicare integrum ſit, ſuperaddita *ſexta* pretii parte. Merx, ſemel viſitata, cetera ſit immunis. Nova Matricula.

§. CCXLVI. Hoc Fedus Belgis admodum profuit; orta tamen a. 1745. quaeſtio, utrum etiam *extra Europam* in *India Orientali* vim exſereret ſuam (id quod videbantur negare OO.); quum porro alia cauſſarum momenta accederent; anſam haec dederunt, cur Rex a. 1745. d. 31. Dec. (n. 1046.) *ex Decreto* revocaverit Privilegia (ſic vocant!) Belgis ex hoc Federe debita, ac Rempublicam iure gentium neutrarum eſſe, omnesque naves arreſto detineri iuſſerit, fruſtra conquerente et Federis fidem invocante Legato noſtro, niſi quod mitigatum fuit Edictum. Reſcinditur Fedus.

Inita vero Pace a. 1748. multum deinceps operae impenſum eſt, ut renovaretur. Sed hactenus omnia fruſtra. Adeo ut, hoc quo vivimus a. 1790. Reſpublica Belgica nullum habeat *Commercii Fedus* duabus cum gentibus, Belgarum Mercaturae quammaxime aemulis; dum interim reliquae gentes in pangendis Commercii Federibus ſunt occupatiſſimae. Nec unquam renovatur.

§. CCXLVII. Abolito Federe, ex Privilegiis et Dantur

Con-

Privilegia. Conceſſionibus gratioſis pendet Reſpublica! Nec talia deſunt. Sic in bello inter Gallos et Anglos de Americae poſſeſſionibus, utroque Rege Amicitiam et opem Belgarum ſollicitante a. 1756. (n. 1118.) Rex Gall. Belgas iterum exemit Vectigali 50 ſolidorum, et ex piſcibus ſalitis Vectigal *f* 12 ad *f* 10 imminuit (n. 1116.). Iniiciebatur etiam in Gallia ſermo de renovando *Commercii Federe*, maxime gaudentibus Gallis. Quum Belgae deinde *neutras* ſequi *partes* pollicerentur, permiſit illis Rex a. 1758. *liberam Halecis invectionem* ex Feder. a. 1739. §. IX. ipſis debitam (n. 1124.) ſed hanc a. 1783. iterum prohibuit; fruſtra in hunc usque diem dolentibus *Piſcatorum Sodaliciis*. Interim a. 1773. d. 23. Iul. (n. 1158.) peculiari Pacto utrimque penitus exſtinctum est *Ius Albinagii*. Controverſia de tranſitu copiarum Gall. per Territorium Belgicum in bello cum Rege Boruſſiae, huius non eſt loci (92).

Sed et haec revocata.

Res nuperrime geſtae. §. CCXLVIII. Maioris momenti ſunt, quae, quod ad nexum Galliae cum Republica, nuper contigerunt: de quibus ſub Anglis. Nunc obiter tantum de ipſis *Pactis* et regiis *Edictis*.

1. Quum flagrarent diſcordiae Coloniarum Americanarum cum Rege. M. Britanniae; Rex vero Galliae armata manu his intercederet, ipſius Legatus a. 1779. d. 16. Ian. (n. 1176.) Belgis indi-

(92) Res pluribus narratur *Nederl. Jaarboeken*, a. 1757. p. 237. ſq. 311. *Mercure Hiſtor. & Polit.* h. a. P. I. p. 605. ſq.

dicavit Regias comminationes de revocandis omnibus Mercaturae *Privilegiis*, Belgis ab Rege Galliae conceſſis, niſi OO. Fedd. petitioni Regiae *de libero navium* cuiusvis generis *commeatu* (*onbepaalde Convoyen*) morem gerant. Nec mora! Quod enim iam d. 14. Ian. ab Rege ſignatum erat Edictum, quum Ordines non ſat cito nec plene ſatis facerent, ſtatim illud promulgatur; (n. 1175.) quo Rex revocat omnes antea factas conceſſiones, Belgasque ſolitis ſubiicit Vectigalibus, exceptis tamen 2 urbibus, *Amſtelodamo* et *Harlemo*. Id quod maximopere Mercatorum reliquorum animos commovit, ac ſemina discordiae, larga iam manu antea ſparſa, ad maturam ſegetem evexit.

2. Post editam publice ab Rege M. Britanniae, liberum navium conductum aegre ferente, Declarationem a. 1780. d. 17. Apr. (n. 1187.) de *ſuspendendis Federibus* cum Republ. initis, Rex Galliae voti compos ſui d. 26. Apr. (n. 1188.) haec Edicta Prohibitoria revocavit.

3. Facta deinde ab Rege M. Britanniae publicâ belli Declaratione a. 1780. d. 20. Dec. (n. 1192.) initum est cum Gall. Rege Pactum temporarium, a. 1781. d. 1. Maii (n. 1201.) *de navibus ab hoste recuperandis*, *et de praeda aſſignanda*. Porro a. 1782. d. 25. Mart. (n. 1210.) Ordines Belg. Feder. Regi Galliae ſollemniter declarant, ſe nonniſi communi conſilio et conſenſu acturos, ſimulatque de communi opera conveniſſet. Idem Rex pollicetur. Interim Claſſis navalis, quam validam Rex Galliae exigente bello Gallo-Anglico in Indiam Orientalem miſerat, egregiam Belgis operam illic praeſtitit; ſimulque durante nostro cum Anglis bello,

Pacta temporaria.

Auxilia Galliae in Oriente.

lo, immo diu poſt, copiis militaribus inſulam noſtram *Ceilan* et *Caput Bonae ſpei* obſeſſa tenuit.

4. Tandem poſtquam Reſpublica propoſitas ab Anglis Pacis renovandae et priſtini Federis a. 1674. inſtaurandi conditiones reiecerat a. 1782. d. 29. Mart. (n. 1211.); poſt reiecta nova itidem conamina Imperatricis Ruſſorum Pacis inter Anglos et Belgas conciliandae, oblatasque Inducias (n. 1212.); reconciliatis interim Gallis et Anglis (n. 1222, 1226.) pridie eius diei a. 1783. d. 2. Sept. rem ita moderatus eſt Rex Galliae, ut Belgae *Inducias* haberent (n. 1225.); et ſic tandem, per varios caſus, per multa Reipubl. diſcrimina, ſequenti a. 1784. d. 20. Maii (n. 1233.) moderante Gallo Pax cum Anglis coaluit.

Fedus Defenſivum a. 1785.

5. Poſtremo per multas fluctuationes turbasque domeſticas, Rempublicam intus lacerantes, Ordines Belgae deliberabant a. 1784. d. 26. Maii *de Federe mutuae Defenſionis atque Auxilii cum Gallis ineundo*. Sed et illud propter incidentes cum Imperatore contentiones, quae bellum minari videbantur (n. 1232, 1235.), ineundi iſtius Federis conſilium, diu protractum, nonniſi biduo, poſt initam cum Imperatore Conventionem (n. 1246. cf. 1248.), ad exitum perductum eſt a. 1785. d. 10. Nov. (n. 1248.). Id quod conſtat §§. XIV.

Horum §. I. et II. perennis ſancitur Amicitia, et mutua adverſus quosvis hoſtes *in omnibus mundi partibus* coniunctio; nec non *Fideiuſſio* pro Territoriis et iis iuribus, quae ſancita ſunt ex *Pace Monaſterienſi*, a. 1648. et *Aquisgranenſi* a. 1748. exceptis iam mutatis vel mutandis.

§. III, IV. Definiuntur invicem Copiae auxiliares cum

cum navales tum terreſtres; auxilium Belgae praeſtabunt non modo, ubi Rex vel Resp. *bello maritimo* invaditur, ſed quovis caſu, ubi hostilia in mari adverſus eos patrantur. Belgae tantum dimidiam debent partem copiarum, quas Rex ſuppeditabit.

§. V, VI. Agitur de his copiis moderandis, ornandis, inſtruendis, iisque in promtu ſemper habendis.

§. VII. Plura pro necesſitate dabuntur ſubſidia, immo *omnibus viribus* et *copiis* erit opitulandum: ita tamen, ut OO. ne obligentur ultra 20000 pedites et 4000 Equites, vel ad eorum pretium.

§. VIII. Orto alias inter gentes bello Maritimo *maris Libertatem navesque ſuas* invicem defendent, ex Regula, quod *navis amica merces hostiles ſervet* (93). Salvis tamen nonnullis Exceptionibus, ex priore Federe a. 1713.

§. IX. In communi bello ſuscipiendo communia erunt belli conſilia, pacis deliberationes; nec alteri ſine altero agere licebit.

§. X. 1. Semper praesto ſint quae peti posſint ſubſidia. 2. Vtrique ſit integrum in haec inquirendi facultas. 3. Fidenter aperiant quis ſit defenſionis ſtatus in locis munitis. 4. Invicem conveniatur de mediis haec Munimenta ſcopo convenienter inſtruendi.

§. XI. Bona fide communicabunt, quae aliis cum Gentibus Europaeis ſint obligationes et officia; neque

(93) Gallice enunciatur: *que Pavillon ami ſauve marchandiſe ennemie.*

que alias Obligationes vel Conſociationes inibunt, quae huic Federi adverſentur.

§. XII. Alios Federis ſocios adrogare, utrique ſit integrum.

§. XIII. Subditi tractentur tamquam *gens amiciſſima*, donec *de Federe Commercii* conveniatur.

Adiecta ſunt 5 Capita ſeparata; quorum §. I, II. definitur tempus dandi auxilii, pecuniae, etc.

§. III. Vtraque gens promovebit alterius ſalutem ac commoda omni *ſubſidio*, ſive *conſiliis*, ſive *auxiliis*, quovis *tempore*, quavis *occaſione*; neque conſentiet in ullas Deliberationes, vel Negotiorum tractationes, ex quibus quid praeiudicii vel detrimenti alteri poſſit oriri; ſed ſincera mente ea communicabunt, avertent, vel diſſolvent.

§. IV. Extenditur Fideiuſſio, etiam ad Pactum cum Imper. IOSEPHO nudius tertius initum.

Varia de eo iudicia.

§. CCXLIX. Hoc autem primum est *Fedus mutuae Defenſionis*, quod, durante agnita Reipubl. Libertate, cum Rege Galliae est ſociatum. Republica autem tunc temporis in partes diſtractâ, aliis Regi Gall. eiusque conſiliis, aliis Angliae faventioribus, pars ingenti laetitia et applauſu hoc Fedus excipiebant, pars ob mutatum, ut ſibi videbatur, Reipublicae, quod ſemper valuerat, ſystema dolebant.

Nullum Commercii Fedus.

§. CCL. Quae vero de *Federe Commercii* et *Navigationis* inſtaurando, ſaepius, tum in primis a. 1782. (n. 1216.) ſqq., ex Vrbis Amſtelodamenſis Propoſitione, agitata ſunt conſilia, et in ipſo *Federe Defenſionis* recocta, ea hactenus effectu caruerunt.

Sed cum

Quae Gallorum cum aliis Gentibus ſunt *Commer-*

mercii et *Navigationis Federa*, noſſe Belgarum admodum intereſt.

aliis gentibus.

Hoc unum addo, Regem Galliae interim petiiſſe, ut ſibi permittatur habere Miniſtrum publicum (*een Agent*) in Indiae noſtrae Orientalis *Metropoli*, *Batavia*, multum indignantibus Indiae Orientalis Moderatoribus.

FEDERA COMMERCII ET NAVIGATIONIS CVM REGIBVS M. BRITANNIAE.

Priſca Anglorum Federa.

§. CCLI. Recenſui (§§. CLXXIX — CXCIII.) priſtina Belgarum cum Anglis Federa, etiam ante Pacem Monaſterienſem, quibus de *Commercii*, *Navigationis*, et *Piſcationis* libertate cavebatur; ſed quae ex priſtino rigore nonnihil trahebant, praeſertim ſi ſpectamus ad mercium vetitarum vectionem: uti inter alia ex Federe Offenſivo a. 1625. d. 17. Sept. (n. 318.) §. XX. Merces vetitae ad hoſtes advectae una cum navi et vectoribus adhuc in commiſſum cadebant.

Lex Navalis Cromwelli a. 1651.

§. CCLII. Statim autem ab Pace Monaſter. ſeſe exſeruit famoſiſſima illa inter Anglos et Belgas Mercaturae et Navigationis aemulatio. Vix enim a. 1650. d. 17. Dec. coaluerat *Fedus Navigationis* inter *Hiſpanos* et *Belgas*; Belgaeque, tamquam gens libera omnibus agnita, florentiſſima utebantur Navigatione, quin intercederet CROMWELLVS, Angliae *Protector*, iure quidem ſuo uſus, ſed inſigni Belgarum Mercaturae damno, ex promulgato Edicto ſeu Lege Navali a. 1651. d. 9. Oct. (n. 442.) quae deinde ſub CAROLO II. Rege a. 1660. eſt renovata (vulgo *de Acte van Navigatie*) qua Le-

ge, egregio profecto prudentiae politicae quantum ad Anglos exemplo! duo haec primaria capita obtinebat;

1. Vt impediret omne transportationis, ſive mercaturae quam vocant *Oeconomicae* Commercium exterarum gentium, in primis Hollandorum, quorum hoc quammaxime intererat.

2. Vt ſuam ipſius Gentis Navigationem et Commercium omnibus cum gentibus, navibus propriis peragendam, in omnes totius univerſi partes promoveret, aliosque ab ea excluderet.

Belgarum conamina. §. CCLIII. Post compoſitum a. 1654. Bellum CROMWELLIANVM, multa quidem OO. Belg. fuere conamina, ut aequale *Commercii* Fedus iniretur (94); ſed illud inſtaurata demum cum Rege CAROLO II. Pace Bredana obtinuit a. 1667. (n. 597.) qua ſtipulabantur, ut, dum de *Commercio* ageretur, interim 1. obſervarentur Conditiones inter Gallos et Belgas a. 1662. §§. XXVI—XLII. initae. 2. Vt Legi Navali CROMWELLIANAE eatenus derogaretur, ut, praeter ea quae in Belgio *nata* vel *fabricata* forent, admitterentur, quae ex Germania per territorium Belgicum ad portus maritimos advehi ſoleant (n. 598.).

Federis Bredani ſtipulatio a. 1667.

Fedus Commercii a. 1668. §. CCLIV. Sic tandem durante inter Gallos et Hispanos bello, et inita inter *Anglos*, *Suecos* et *Belgas* conſociatione de Pace promovenda (n. 602. 603.) cum Anglis, at quibus ex *cauſſis?* conve-

(94) Sunt qui ſcribant, huiusmodi Fedus revera initum esſe a. 1657. ſed errant (n. 480.).

Digitized by Google

venit de Federe *Navigationis* et *Commercii* a. 1668. d. 17. Febr. (n. 604.).

§§. I, II, X. Stabilitur generalis mercandi et navigandi libertas, nullis, ne hostium quidem, mercibus exceptis, niſi ſolis *vetitis:* quae vero *vetitae*, quae non *vetitae*, nominatim recenſentur §§. III, IV. Eius Capita.

§§. V—IX. Adduntur cautiones de literis *Commeatus* (*Paſſeports*), de modo viſitandi, exhibendi, etc.

§§. X, XI. Nunc demum conſtituuntur duae Regulae circa merces vehendas: Belg. *vry ſchip*, *vry goed*, *onvry ſchip*, *onvry goed* (95).

§§. XII—XVII. Agitur de vetitis non vindicandis niſi coram iudice, de cautione praefecti navis, de ferendis ſententiis, deque earum exſecutione, provocatione, etc.

§. XVIII. Quod ſi quid, experientia duce, vel utile vel incongruum, illud Delegatis mandabitur.

§. CCLV. Hoc Fedus, per Bellum a. 1672. abruptum, facta Pace a. 1674. d. $\frac{9}{19}$. Febr. ad 9 menſes eſt inſtauratum; et tandem a. 1674. d. $\frac{1}{11}$. Dec. (n. 682.) novum coaluit *Fedus Navigationis*, *Commercii* et *Mercaturae*; cuius §§. V—XVI. etſi diverſo ordine poſiti congruunt cum Feder. a. 1668. ſed longe explicatius, in primis quae §. VI, VII. de duabus *vehendae mercis* Regulis; quibus ad- Novum et ultimum Fedus a. 1674.

(95) Quantum operae impenderint Legati noſtri, ut haec ab Angl. obtinerent, J. DE WIT, *Brieven*, T. IV. p. 655.

Digitized by Google

additur, ut etiamſi *integrum* navis amicae *onus* eſſet *hoſtium*, liberum tamen id foret, exceptis ſemper *vetitis*; et ut navis hoſtilis, bello exorto, bonis alterius onuſta, ne confiſcetur intra tempus poſt declaratum bellum ex §. VIII. Quae vero ſint *vetita*, quae non ſint, §. III, IV. clarius explicantur. Ad vetita generalis adiicitur clauſula, *quaecumque alia bellica inſtrumenta*. Ad *licita* referuntur quoque omnia, quae ad naves parandas comparata ſunt (96).

§. XIV.

---

(96) Quum hoc ultimum cum Anglis ſit Fedus Commercii, ad has vero merces crebro deinde ſit provocatum, iccirco hic merentur recenſeri, praeſertim quoniam longe plura ſint licita, quam ex Federibus cum Gallis. *Vetitis* accenſentur *arma quaevis, milites, equi omniaque ad inſtruendos equos neceſſaria.* Sed licitis nominatim accenſentur *omnes pannorum ſpecies, omnesque aliae manufacturae, textae ex quacunque Lana, Lino, Serico, Goſſipio, vel alia quacunque materia, omnia veſtium et indumentorum genera, una cum ſpeciebus, ex quibus confici ſolent, aurum et argentum tam ſignatum quam non ſignatum, Stannum, Ferrum, Plumbum, Cyprum et Carbones Focarii, Triticum etiam et Hordeum, et aliud quodcunque Frumenti vel leguminis Genus, Herba Nicotiana, vulgo Tabaco, nec non omne Genus aromatum, Carnes ſalitae et fumo duratae, piſces ſaliti et arefacti; Caſeus et butirum, Cerviſia, olea, vina, ſacchara, et omne Genus ſalis, nec non omnis generatim annona, quae ad victum hominum et vitae ſuſtentationem facit: Goſſipii porro, Cannabis, lini et picis omne Genus, Funes, vela et Anchorae, Mali item na-*

Digitized by Google

§. XIV. Severe animadvertetur in Navium Magiſtros, qui belli tempore praedatum euntes in vectores ſaeviant.

Quum duo tamen capita Legatus VAN BEUNINGEN, minus recte ex mente OO. Belg., omiſiſſet (97), a. 1675. d. 30. Dec. (n. 694.) ampliatio adiecta est, qua ſancitum, ut utrique genti merces etiam vehere liceat ex uno portu hoſtili ad alterum: et *Reviſio* ſententiarum fiat coram Collegiis Belg. Archithalasſicis (*Admiraliteits-Collegien*). Ampliatio a. 1675.

§. CCLVI. Hoc Fedus, varia occaſione in Pactis ſocialibus et auxiliaribus renovatum est, ſed ſpeciatim post finitum bellum ſociale novum interceſſit *Fedus Amicitiae, Defenſionis, Navigationis* et *Commercii*, a. 1716. d. 6. Febr. quo confirmantur reliqua omnia federa, nominatim *Fedus Commercii* a. 1674. d. $\frac{1}{11}$. Dec., idque iterum ſancitum a. 1728. d. 27. Maii, addita etiam Interpretatione §. XII. de *Reviſionibus* (98). Renovatio a. 1716. Interpretatio a. 1728.

§. CCLVII. Hoc autem Fedus cum reliquis omnibus, haud interrupta annorum plus centum ſerie, duravit usque ad ultima Reipubl. tempora. Anno quidem 1756, quum inter Gallos Britannosque de Controverſiae ex eo a. 1756. ſqq.

---

vales, ut et aſſeres, Tabulae et Trabes ex quibuscunque arboribus, omniaque alia ad naves ſeu conſtruendas, ſeu reficiendas comparata.

(97) Vti me docent *Registra OO. Holl.* h. a. ſub die 21. Dec. fol. 86.

(98) WAGENAAR, *Hiſtoriſche en Politieke Tractaten*, D. I. bl. 217.

de poſſeſſionibus Americanis bellum flagraret, Belgaeque his Federibus innixi Mercaturam ſuam navalem cum Gallis, Anglorum hostibus, alacriter promoverent; graves quidem inter Anglos Belgasque interceſſerunt contentiones, querentibus Belgis de iniustis navium ſuarum depraedationibus maritimis; contra dolentibus Anglis de ope ſub mercaturae nomine ab Belgis Gallo hosti praeſtita; nec non ſuppetias adverſus Gallos ex Federe petentibus. Qua occaſione graves inter Anglos et Belgas lites; ambigua factionum in Belgio ſtudia; variae Ordinum diverſarum Provinciarum opiniones; ſcripta quamplurima, etiam privatim edita de *vera mente* Federis circa merces vehendas, et de *caſu* Federis circa auxilia praeſtanda, Rege Galliae in his ſtrenue ſuam rem agente (99). De componendis litigiis ſerio adhuc actum est a. 1759. Ceſſante cauſſa, ceſſarunt tunc effectus. Primaria Controverſiarum momenta huc fere redibant:

1. Quod

(99) Pluribus haec narrantur *Nederl. Jaarboeken*, a. 1756. p. 658, 735. a. 1757. p. 649. 1009. a. 1758. p. 562, 816, 947, 1097, 1237. *Mercure Hiſtor. & Polit.* a. 1758. P. I. p. 828. P. II. p. 703. a. 1759. P. I. p. 114. WAGENAAR, *Hiſtorieſche en Politieke Tractaten*, D. I. bl. 69. ſqq. *Apologie de la Conduite du Gouvernement de la Gr. Bretagne, à l'égard des Nations neutres, in Nouvell. Extraord.* a. 1759. *Suppl.* n. 1. ſqq. quibus in ſcriptis rerum momenta utrimque expenduntur; in primis ipſum Navigationis Fedus a. 1674. paſſim illuſtratur.

Digitized by Google

1. Quod Belgae in Colonias Gallicas omnia transportabant.

2. Quod Galli in pleno mari prope ipſas oras merces in naves Belgicas transfundebant; vulgo *overſchepen*. Vtrumque licere, Belgae; non licere, Angli volebant.

3. Quod Belgae *apparatum navalem* (*Scheepsmaterialen*) ad Gallos devehebant. Id, quod ex *Federe* licitum, Anglis damnoſum, Belgis admodum proficuum erat.

4. Quod Angli ſuppetias Belgarum contra Gallos *ex Federe* petebant, Ordines caſum Federis non exſtare cenſentes neutrarum esſe partium malebant.

§. CCLVIII. Vtinam vero illa discordiarum ſemina tunc exſtincta fuisſent. Sed hoc erat in fatis. De novo *Commercii Federe* a. 1762. cogitatum esſe fertur; ſed res intra conatum ſtetit: donec Republica nuperrime partium iterum ſtudiis lacerata non modo hoc Commercii Fedus, ſed et omnia, quae hactenus Belgas cum Regno M. Brittanniae ligarant, Federum vincula, penitus disrupta ſunt, exorto a. 1780. bello; cuius initia, causſae externae, progresſus, et infelix exitus, ſumma qua potero fide, quantum ex *editis* conſtat Documentis, hic enarranda (1). Refuscitatae deinceps.

§. CCLIX.

---

(1) De rebus nostra aetate gestis in tanto partium ſtudio admodum difficile est ſcribere, in primis indagare omnium, quae tunc acta ſunt, veras origines, fontes, causſas, promotores, arcana conſilia et adminicula. Haec melius cognoſcet poſteritas.

Res geſtae ab a. 1775.

§. CCLIX. Nimirum postquam controverſiae inter Colonias Anglo-Americanas et Regnum M. Britanniae, in apertum bellum civile eruperant: OO. Belg. Feder. ad repetitas Regis Angliae per Legatum ſuum querelas ex Edicto promulgato a. 1776. d. 10. Oct. (n. 1162.) ad annum prohibuerant, ut ne Belgarum naves ullum apparatum bellicum adveherent in hasce Colonias; immo omni eius exportatione, ſe inſciis, interdixerant. Circa idem fere tempus (a. 1776. d. 17. Dec.) Gubernator Inſulae *St. Christophori*, quae Anglorum est, conqueritur apud Gubernatorem inſulae *St. Euſtatii*, quae Belgarum est, non modo de *honore* habito istis Coloniis Anglo-Americanis, quae cum Rege M. Britanniae apertum bellum gerebant; ſed etiam de apparatu et ſubſidiis bellicis, quae ex Inſula *St. Euſtatii* eo advehebantur. Factum negat Gubernator, ſimulque de *iniusta accuſatione* conqueritur. Gubernatoris Anglici querelas, in Angliam delatas, Legatus Hag. Com. regio iusſu ad OO. GG. defert a. 1777. d. 21. Febr. (n. 1166.). OO. in eandem ſententiam per Legatum ſuum Regi reſpondent; ſimul conquesti de nimia verborum Legati ſui acerbitate; addunt promisſa de prohibenda, quantum in ipſis ſit, apparatus bellici exportatione; et inſuper Regem certiorem reddunt de arcesſito Gubernatore *St. Euſtatii* ad reddendas rationes. Amica ad haec Regis Angliae reſponſio, d. 11. Apr., qui his OO. literis acquieſcit (2).

Queruntur Angli de Belgis Americanos iuvantibus.

Ordines arcesſunt Gubernatorem St. Euſtatii.

§. CCLX.

(2) Habentur omnia in *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1777. p. 377. ſqq.

Digitized by Google

§. CCLX. Iſthoc autem Anglorum Bellum cum Coloniis, etſi permultis Belgis admodum proficuum, quum ipſam tamen Navigationem et Mercaturam licitam valde praepediret; hinc plures gravesque de infeſtata per Anglos navigatione querelae — *Querelae Belgarum de Anglis.*

1. Ipſius Societatis Indiae Occidentalis.

2. Mercatorum complurium cum Amſtelodamenſium tum aliorum.

3. Societatis Mercatorum Medioburgenſis, exhibito publice catalogo Navium, ab Anglis per id tempus captarum. Hinc de *turbata Navigatione* et de *Federe Commercii* a. 1674. minus caute ſervato, OO. GG. a. 1778. d. 21. Sept. (n. 1172.) querelas deferunt ad Regem M. Britanniae, eo effectu, ut quaecunque naves non onustae *Materia navali* (Belg. *Scheepsmaterialen van Timmerhout*) navibus parandis idonea, tunc relaxarentur; propoſita ſimul ab Legato Angliae amica querelarum compoſitione, et cautione in futurum, a. 1778. d. 19. Oct. (n. 1173.).

§. CCLXI. Dum haec gerebantur, interim Rex Galliae cum Anglo-Americanis, non modo Fedus arctioris Amicitiae ac mutuae Defenſionis inierat, ſed etiam mutuam *Navigationis* et *Commercii* libertatem, ex Pacto a. 1778. d. 6. Febr. (n. 1168. ſq.) ſtipulatus erat. Eodemque anno (d. 4. Sept. n. 1171.) initum est *Fedus Commercii* et *Navigationis* inter eaſdem Colonias Anglo-Americanas et Amſtelodamenſes, privata ſubſcriptum auctoritate, et eo duntaxat in Republ. valiturum tempore, quo Angli has Colonias *liberas* et *ſui iuris* declaraverint; quod tamen Fedus longo demum post tempore caſu quodam innotuit. — *Rex Galliae iuvat Americanos.*

Ordinum Decreta de navibus conductitiis.

§. CCLXII. Ad iteratas Mercatorum querelas, ſimulque ad Legati propoſitionem OO. Feder. habita matura deliberatione a. 1778. d. 6. Nov. recuſant quidem oblatum pro mercibus pretium, non repugnant tamen, ut diſtinctio interponatur inter graviora ligna, et minoris momenti materiem, eo modo ut ſalvo iure, quod ex Federibus ſibi competebat, ad tempus ſuperſederetur publico conductu navium, quae integrae vel ex parte forent oneratae *materie maiori navali*. Omnibus Provinciis, ne excepta quidem Hollandia, rei navali prae aliis intenta, hoc Decretum a. 1778. d. 19. Nov. (n. 1174.) approbantibus; ſola urbs Amſtelodamum reniſa eſt, ac *Proteſtationis* literas exhibuit a. 1778. d. 17. Nov.

Gentes aemulae.

§. CCLXIII. Flagrante interim magis magisque Gallos inter et Anglos bello; unde omnis Disſidii origo repetenda erat; Respubl. Belg., ditisſimae inſtar virginis ab duobus ambiebatur procis, omni ope in id annixis, ut Belgas in partes traherent, vel certe neutrarum eſſe partium curarent. Sed rationibus, modo, ſcopo, et adminiculis admodum diverſis (3).

Rex Galliae Belgas exhortatur.

§. CCLXIV. Quantum ad Regem Galliae! aegre is ferebat Edictum, dolebat, petebatque, ut Ordines, tamquam gens libera, ſui iuris memores, aequalem mercatoribus libertatem haud denegarent a. 1778. d. 7. Dec. Nova ſuper his deliberatione inita,

(3) Vid. Obſervationes *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1779. p. 30. ſqq.

ta, praehabito OO. Deputt. et Collegiorum Archithalaſſic. praeiudicio, OO. Holl. *ius Reipublicae* libere navigandi vi Federum extra omnem controverſiam poſitum quidem concedunt; verum in hoc rerum ſtatu, ex Regulis prudentiae Politicae, priori ſtandum eſſe Decreto cenſent (renitente tamen iterum Amſtelodamo); urgent idem Ordinum Hollandiae Commiſſarii (vulgo *'t Beſoigne*), et ſerio monent *de gravisſimis periculis*, ex his prudentiae Regulis, neglectis, redundaturis in omnem Rempublicam, in poſſeſſiones Indicas, in omnem Navigationem, Mercaturam, immo, ſi bellum inde exſurgat, damna fore innumerabilia, et, *dat heel zeker alle navigatie, en uit dien hoofde de voornaamſte Commercie zal moeten ſtil ſtaan, en op eens uit den allerfloriſantſten ſtaat zal worden gedompeld in een compleete inactiviteit* (4). In hanc etiam ſententiam OO. GG. a. 1779. d. 16. Ian. (n. 1176.) Legato Galliae reſpondent. Sed is reſponſum accipere negat, et nomine Regis minatur revocare omnem Belgarum Navigandi libertatem (5), novumque promulgare Edictum; cuius Edicti minacis Exemplar a. 1779. d. 14. Ian. iam ſignatum, (n. 1175.) exhibet: quod Rex d. 26. Ian. promulgandum curaret, niſi ipſius poſtulatis morem gererent Ordines. Effectus fuit ſuſpenſio

Ordinum prudentia.

Rex Galliae minatur.

Ordinum Decreta.

---

(4) Habentur haec *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1779. p. 85, 130, 133. ſqq.

(5) Revocato ſcil. Edicto a. 1778. d. 26. Iul. *de libera Mercatura gentium neutrarum intuitu Belgarum.*

ſio Decreti de *non conducendis navibus materiem navalem vehentibus* (n. 1177.).

Regis Edicta.

§. CCLXV. Neque his tamen contentus Rex Galliae, qui plenius petebat reſponſum, reapſe promulgavit Edictum de revocandis Belgg. Privilegiis, eosque d. 8. Febr. inſuper vectigalibus ex Legibus Galliae a. 1744, 1750, 1757. conſuetis ſubiecit; exceptis duabus urbibus *Amſtelodamo* et *Harlemo*.

Horum effectus in Hollandia.

Hinc in Hollandia ingens commotio, animorum aliis ex cauſſis iam exaſperatorum perturbatio, reliquarum urbium indignatio, eo gravior, quo inſignius *florebat* Belgarum Mercatura et Navigatio. Effectus duo, 1. plurium urbium in alteram partem inclinatio; 2. graviſſimae aliarum querelae; ſiquidem adverſus Regulam: *libera navi*, *libera merx*, bona et merces hostiles navibus Belgarum inditae confiscabantur (6). Paullo post extenſa est haec Exceptio ad integram Hollandiam, postquam ex voto agere coepiſſet (7), additis tamen ab Legato Galliae minis de revocanda conceſſione, niſi in ſententia perſeveraret. Sequitur a. 1779. d. 27. Apr. (n. 1179.) nova Regis Galliae *Matricula* (vulgo *Tol-*

(6) Contra commune ius gentium, Gallis receptum et agnitum, illud eſſe cenſebat Collegium Archithalaſſicum Rotterodamenſe in *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1779. p. 588.

(7) Habentur omnia *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1779. p. 163, 169, 171, 174, 182, 421, 425, 502, 529, 734.

Digitized by Google

Toltarif) (8), et d. 18. Sept. prohibetur omnis *Caſei* Hollandici in Galliam invectio.

§. CCLXVI. Quod ad Anglos! Haec Regis Galliae conſilia vehementer indignabatur Angliae Legatus, dolebat, dictitabat, eo tendere Gallorum conamina, ut hos excipiendo, illos onerando, ſemen diſcordiae quaquaverſum ſpargerent, liberum de commodis Reipublicae deliberandi arbitrium Belgis auferrent, meram Reipublicae anarchiam inducerent, ſub blanda ſpecie ſuas Belgis Leges dictarent, et eos bello cum Anglis immiſcerent, dum interim amica *Controverſiarum transactio* ab Anglis propoſita reiiciebatur. Paullo post, a. 1779. d. 22. Iul. (n. 1181.) Legatus Angliae apud Ordines inſtitit, ut darentur copiae auxiliares, quas ex Federe a. 1678. et ſeparato Articulo a. 1716. d. 22. Iul. Regi ſuo deberi contendebat; graviſſime ſimul conqueſtus de iis, quae agebantur; provocatque ad interrupta nunquam Federa Amicitiae et mutuae Defenſionis. Idem illud iterato ac tertio petebat, et d. 26. Nov. ſimul rogat, ut duae naves ab Praefecto Americano PAVLO IONES, captae ex Federe reſtituantur.

Rex Angliae indignatur,

et rogat copias ex Federe.

§. CCLXVII. Haec dum geruntur, ab parte Mercatorum querelarum nec modus erat nec finis: acriter inſtant, ut ſuae naves Claſſe deducantur; perſiſtebant primo Ordines Fedd., tandem urgente ex plurium ſuffragio Hollandia, a. 1779. d. 3. Nov.

Ordinum Decreta de conductu limitato navium.

(8) Ex hac *f* 15 per ſingula centena ſuper ſolita vectigalia pendi debebant. Id quod ab prohibita mercium importatione parum aberat.

Digitized by Google

Nov. (n. 1182.) praevaluit ſententia eorum, qui quasvis naves, ſine mercium diſcrimine, prouti postulaverat Rex Galliae, permisſas volebant, quamquam *publica protectio* non concedebatur navibus materia navali *graviori* onustis. Ex hoc Ordinum Decreto, quum *Naves Belgarum*, ſub ductu Praefecti maritimi Comitis de BYLAND, portu ſolvisſent, et *Fretum* (*het Canaal*) intrarent; a. 1779. d. 31. Dec. Praefectus Angliae FIELDING naves invadit, occupat. Res varie narrata, varie etiam accepta est (9).

Rex Angliae claſſem Belgicam adoritur.

§. CCLXVIII. Interim non deſtitit Rex Angliae rogare contra hostes Gallos auxilia, et a. 1780. d. 21. Mart. per Legatum ſuum petiit, ut intra tres hebdomadas ad petita per 8 menſes ſubſidia reſponderetur, addita inſuper ſeria Declaratione, Regem, ni Pactis ſatisfiat, Belgas conſideraturum, ut qui Federa disſolvisſent, tractandos iccirco perinde ac ſi nulla amplius intercederent Federa. Ad haec postulata, quando apud OO. GG. dubitabatur, num *Caſus Federis*, ab Anglis invocati, *de ferendis ſuppetiis*, revera exſtaret, et habita Deliberatione, hunc *non exſtare*, cenſebatur, ex praevia OO. Hollandiae ſententia, OO. GG. Copias ab Anglis contra Gallos petitas denegant (n. 1185.), ſimulque decretum ineunt *de conducendis omnibus navibus*,

Minatur Federum ſuſpenſionem.

Ordines negant copias.

Decernunt conductum omnium navium.

---

(9) Quae huc faciunt, et quae ſententia fuerit Collegiorum Maritimorum de hac Infeſtatione, vid. *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1780. p. 130, 174, 249, 427. *Mercure Hiſtor. & Polit.* h. a. P. I. p. 228.

Digitized by Google

bus, quaslibet merces vehentibus, modo ne ſint vetitae; proteſtantibus tamen Zeelandiae Ordinibus, et amicam Controverſiarum compoſitionem, id ſi fieri posſet, cum Anglis adhuc urgentibus (10).

Rex Angliae ſuſpendit Federa.

§. CCLXIX. Rex Angliae negata ſubſidia aegre ferens a. 1780. d. 17. Apr. (n. 1187.) ſollemni Edicto Federa cum Belgis ad tempus ſuſpendit, praeſertim Fedus a. 1674. d. $\frac{1}{11}$. Dec. Contra Rex Galliae voti compos ſui a. 1780. d. 26. Apr. (n. 1188.) revocat Edicta prohibitoria de Navigatione et Mercatura Belgarum.

Armata Neutralitas intervenit.

§. CCLXX. Eodem circiter tempore Imperatrix Rusſorum Belgis obtulerat *Federis*, quod vocant, *Neutralitatis armatae* ſocietatem; de quo dum deliberant Ordines, illud tandem, fracta iam pace ſancitum, nulla nobis commoda attulit (11). De quo infra.

Deteguntur Literae Laurentianae.

§. CCLXXI. Acceſsit per idem tempus fama de detectis nonnullorum Literis privatis et conſiliis, clam initis cum Praeſide Concilii Americani LAVRENTIO, de *Federe Amicitiae* et *Commercii*, quod Syndicus Amſtelodamenſis VAN BERKEL, et Mercator quidam *de Neuville*, inſciis OO. Fedd., privata auctoritate, a. 1778. d. 4. Sept. inierant cum

(10) Rerum momenta dant *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1780. p. 303, 315, 334. f. 427. *Mercure Hiſtor. & Polit.* h. a. P. I. p. 351. ſqq.

(11) Ratum eſt habitum a. 1780. d. 24. Dec. Bellum ab Anglis d. 20. Dec. declaratum. Et fruſtra a. 1781. d. 12. Ian. imploratum.

Digitized by Google

cum Coloniis Americanis, Regis Angliae, ut cenſebantur, rebellibus, certe nondum pro libera gente agnitis. Haec res, palam facta, quantum damni rebus Belgicis attulerit; quantam rixarum materiem pepererit, animosque, iamiam turbatos, magis accenderit, et in partes varias distraxerit, non opus est dicam (12). Vehementer indignatur Rex M. Britanniae; eius Legatus de occultis hisce conſiliis d. 10. Nov. et 12. Dec. apud Gubernatorem Belgii Federati graviter de iure laeſo conqueritur, et ut de auctoribus ſupplicium ſumatur, postulat. Res cum OO. Holl. communicata d. 23. Nov. improbatur, et cura inquirendi, esſet ne *delictum*, Curiae Hollandiae committitur. Improbatur etiam ab Ordinibus Federatis.

Rex Angliae offenſus bellum infert Reipublicae.

§. CCLXXII. Interim Legatus Angliae regio iusſu domum revocatur, et a. 1780. d. 20. Dec. bellum publice declaratur.

De huius belli iustitia, an iniustitia, iudicium ut feratur, multa cognoſci, multa diſtingui, variae inter ſe comparari causſae cum iustificae, tum verae, tum ſuaſoriae debent. Haec omnia an penitus haurias ex utriusque gentis *Bellica Declaratione*, Angl. a. 1780. d. 20. Dec. Belg. a. 1781. d. 12. Mart. (n. 1192, 1198.)? Res hoc bello gestas et non gestas haud referam. Testabuntur de his

(12) De omni hoc negotio et Documentis huc ſpectantibus *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1781. p. 21, 157, 822, 1046. *Mercure Hiſtor. & Polit.* a. 1780. P. II. p. 598. a. 1781. P. I. p. 99, 321. ſqq.

Digitized by Google

his ſemper Annales. Arcana molimina, eorumque promotores ac fautores, cognoſcet Poſteritas. Publica tantum Acta enarro.

§. CCLXXIII. Allato belli nuncio ingens per totam Rempublicam trepidatio; iuſta Belgarum adverſus Anglos indignatio; exorti undique varii generis clamores, acerrimae quaerimoniae, Varii generis clamores et querelae.

1. De lento inſtruendarum Claſſium progreſſu; famoſa id aetatis voce *inactiviteit* cognito.

2. De neglecta olim rei navalis cura (13).

3. De fruſtra petitis hoc fine ſubſidiis pecuniariis, vel ab Provinciis parca nimis manu *conceſſis*, vel, ſi conceſſa, *collatis*.

4. De negata navium exeuntium ſatis idonea protectione et conductu.

5. De immenſis Mercatorum damnis hinc exortis (14), et ſimilia alia, in utramque partem verſatilia.

§. CCLXXIV. Ab altera parte quot aureos ſibi montes multi ex hoc bello polliciti fuerint, praeter alia multa, docet claſſicus *tunc temporis* locus, qui Belgis nullam unquam magis benignam illuxiſſe oc- Belgae aureos ſibi montes pollicentur.

(13) Quid de ea, utpote excitanda, actum iam et deliberatum ſit a. 1773. ſq.; quid a. 1779. docemur ex Libro, publici iuris nondum facto, cui nomen: *Rapport van de Commisſie van 't Defenſiewezen der Republiek.*

(14) Habetur Catalogus Navium inde ab a. 1780. d. 19. Dec. captarum in *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1781. p. 137.

occaſionem reparandi omnia damna; ac favere ipſis omnes fere Europae Gentes, Gallos, Hispanos, Rusſos, Suecos, Danos, contendebat (15). Hac chorda, imbecilli profecto et fallaci, oberrabant isto tempore omnes fere novellarum ſcriptores, indigenae, exteri, etiam *conducticii*; alii non audiebantur. Sed vana ſine viribus ira! Quam evanida haec ſpes fuerit, docuit eventus; monuerant antea Ordinum Hollandiae Commisſarii; obſervarant etiam OO. Zeelandiae, vehementer omnibus fere prioribus conſiliis renisſi, adiectis rationibus et admonitionibus de periculo hinc omni Reipublicae, Mercaturae, ac Societatibus Indicis metuendo, ex noto *axiomate Politico*.

Vana ſpe lactantur.

Anglorum depraedationes.

§. CCLXXV. Angli igitur nostras in Colonias Americanas irruunt, Inſulam *St. Euſtatii* (de qua potisſimum dolebant) diripiunt; *St. Martini* occupant; immo ipſi Reipublicae territorio ad oras maritimas hostilia intentant. Quum vero Respublica ab omnibus esſet imparata, neque per ſociorum disſenſiones ad effectum perduci posſent, quae Belgg. Gubernator, WILHELMVS V. adhuc a. 1779. (n. 1178.) monuerat de *inſtruendis* 50 vel 60 navibus bellicis, et de augenda terrestri militia ad

Sera Belgg. conamina de clasſe ornanda.

(15) *Mercure Hiſtor. & Polit.* a. 1781. P. I. p. 387. *Les Provinces-Unies n'ont jamais eu de plus beau moment que celui ci pour reprendre les avantages, que la foiblesſe, où la necesſité leur ont inſenſiblement fait perdre. Elles ont pour elles la France, l'Espagne, Rusſie, la Suede, le Dannemarck, qui les favoriſent & les ſoutiennent.*

Digitized by Google

ad 50 vel 60000 homines, qui Iuri Belgarum defendendo, id ſi res poſtularet, pares forent (16); ſtatim implorant Ordines Auxilium Imperatricis Ruſſorum. Sed negat illa; negant eius Socii, *Dani*, *Sueci*, obligatos eſſe ſeſe ex Federe *Neutralitatis*; illud demum poſt bellum ab Anglis declaratum coaluiſſe. Offerunt tamen opem Mediatricem et intercesſionem (n. 1195, 1196.). Negantur auxilia.

§. CCLXXVI. Agunt interim OO. GG. cum Legato Galliae de *communi* adverſus hoſtem *opera* et *ſubſidio*; Pactum initur *de navibus ab hoste recuperandis* (n. 1201.); editur Lex Navalis Galliae *de praeda Navali* (n. 1203.), ac pollicentur Ordines (n. 1210.), ſe non niſi collatis cum Rege Galliae conſiliis et communi conſenſu quidquam peracturos, utprimum de *communi opera* convenisſet; ac ſtatim convenit. Conventiones temporariae cum Gallis a. 1781. ſqq.

Vnde tunc temporis non modo fruſtra fuere omnia priora, ſed etiam repetita deinceps Imperatricis Ruſſorum conamina, de *pace* cum Anglis redintegranda (n. 1212.). Fruſtra etiam fuere conſilia FOXII, Regis Angliae Conſiliarii, et propoſitae ab eo Pacis conditiones a. 1782. d. 29. Mart. (n. 1208. et 1211.). Fruſtra Pax ſuadetur.

Eodem circiter tempore (n. 1205.) OO. GG. fidem ſuam pro Rege Galliae apud incolas interpoſue-

---

(16) Add. Admonit. Senatus Bellici ad Ordines Provinciarum in *Annua Petitione* (vulgo *de Jaarlykſche Petitie*) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1779. p. 1407. Cf. p. 431.

Digitized by Google

ſuerunt pro ſumma *f* 5,000,000., ſi, quod abſit! uſurae ſolutio ab Rege Galliae negligeretur.

Fedus Commercii cum Anglo-Americanis.

§. CCLXXVII. Post paullo, a. 1782. d. 19. Apr. (n. 1213.) OO. GG. Colonias Anglo-Americanas, *liberam ac ſui Iuris gentem*, ſollemniter declarant, earumque Legatum recipiunt; et d. 8. Oct. (n. 1218.) cum iisdem *Fedus Amicitiae*, *Navigationis*, et *Commercii*, publica nunc auctoritate ineunt. Hoc autem Fedus tam vehementer ab nonnullis expetitum, et unde belli anſa arrepta, quam parum hactenus Belgis utilitatis attulerit, praeſertim ſi cum reliquis Reipublicae incommodis conferatur, docuit eventus.

Miſera Reipublicae facies.

§. CCLXXVIII. Interim omnia cum extra tum intra Belgium in peius ruebant. In Rempublicam afflictam aliunde etiam durius conſulebatur. Conqueritur Hiſpanus de Belgis, durante obſidione portus Gibraltar (n. 1183.). Remittit IOSEPHVS Imper. copias praeſidiarias e Belgio ſuo (n. 1207.). Defert Rex Borusſiae querelas de capta nave (n. 1199.) ac Legem bello durante Mercatoribus praeſcribit (n. 1204.). Movet Rex Daniae controverſias de ora Africae Guineënſi (n. 1209.). Apud Galliae Regem, Reipublicae amicum, fruſtra de inſtaurando *Federe Commercii* agitur (n. 1216.). Idem paullo post *naves* rogat *bellicas* ſubſidiarias, quae ad portum *Brestanum* proficiſcerentur; non profectae tamen ſunt. Fruſtrati itineris culpa coniicitur, quem in virum?

Rex Galliae cum Anglis conciliatur

§. CCLXXIX. Dum autem omnia in Republica retro labuntur, et multa impediunt, quominus ſerio de propoſita pace ageretur: Rex Galliae, egregium in modum, ſua, uti par erat, commoda promovens,

vens, a. 1783. d. 20. Ian. (n. 1222.) in praevias cum Rege M. Britanniae *Pacis Conditiones* ſimul et *Inducias*, ſeparatim conſentit; *Induciarum* pacto includitur Reſpublica, ſed ſine praeviis Pacis conditionibus bellico ſtatui ſola nunc implicita manet. a. 1783.

§. CCLXXX. De his nova Belgarum cura! Tunc vero Rege Galliae res noſtras moderante, multa in utramque partem agitata conſilia *de recuperandis* noſtris in utraque India *Poſſeſſionibus*, aliaque; donec tandem urgente eodem Rege Galliae, premente etiam neceſſitate, tanta cum feſtinatione, ita ut ne Ordines Provinciales conſuli antea poſſent, a. 1783. d. 2. Sept. (n. 1225.) oblatas *praevias Pacis Conditiones* acceperunt Belgarum OO. GG. (17); ac poſtridie (d. 3. Sept.) ſeparatim inter Gallos et Anglos ipſa *Pax* ſignata eſt.

Belgas Induciis comprehendit.

Belgae Praevias Pacis Conditiones accipiunt a. 1783.

Quod ad praevia *Pacis Capitula*; horum ſumma redit

1. Ad liberam Navigationem per Indiam Orientalem Anglis concedendam.

2. Ad iacturam Oppidi *Negapatnam*, niſi per aequivalens compenſetur.

3. Ad reſtitutionem urbis *Trinconomale* in Inſula *Ceilan*, et reliquarum poſſeſſionum.

Sic tacite omnia Federa, quae duos hos populos plus centum annos, cum ratione *mutuae Defenſionis* et *Amicitiae*, tum *Commercii* et *Navigationis*, arctiſſime conſtrictos tenuerant, ſunt abolita. Vn-

(17) Vid. *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1783. p. 74, 87, 202, 224, 407, 1364, 1514, 1534. ſqq.

Digitized by Google

Vnde plana facta est ſemita ad arctius Fedus cum Rege Galliae.

In has ineundae Pacis conditiones concedere omnino recuſant Ordines Zeelandiae, addito inſuper, docuiſſe nunc eventum ea omnia, quae eventura ante monuerant (18).

Pax inter Anglos et Belgas a. 1784.

§. CCLXXXI. Pacatis Gallis et Anglis, diu de Pace inter Belgas et Anglos inſtauranda, ſub iisdem Regis Galliae auſpiciis, tracta ſunt negotia, cum de *Garantia* Imperatorum Rusſiae et Germaniae, tum *de loco* tractandi, tum de aliis, ita ut (excitata interim gravi ab Imperatore *de confiniis* et *Moſa-Traiecto* moleſtia, et ingraveſcentibus in dies motibus Reipublicis inteſtinis ac discordiis, et civibus ſub ſpecioſo colore ad arma vocatis) ſequenti demum a. 1784. d. 20. Maii (n. 1233.) *Pax* cum Anglis coaluerit; cuius hoc argumentum:

§. I. Pax terra marique; rerum ante actarum oblivio.

§. II. Honos habendus Navibus Britannis, pro more.

§. III. Capti et obſides utrimque reſtituentur; *Naves Bellicae* et *Mercatoriae* post Inducias captae reddentur.

§. IV. Retinent Angli urbem *Negapatnam*. Redditio tamen non negabitur pro eiusdem valoris pretio.

§. V. Redduntur ab Rege urbs *Trinconomale*, et reliqua occupata, eo quo nunc ſunt ſtatu.

§. VI.

(18) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, h. a. p. 1727. ſqq.

Digitized by Google

§. VI. Non impedietur libera Anglorum Navigatio per Indiam noſtram Orientalem.

§. VII. Controverſiae inter ſocietatem Anglo-Africanam, et Belgo-Occidentalem de Navigatione ad Africae oras per Delegatos ex aequo definientur.

§. VIII, IX, X, XI. In reddendis utrimque Territoriis, etiam diſerte non nominatis, nulla erit mora; et omnia bona fide peragentur. Ratihabitio intra menſem.

Additur Articulus ſeparatus de *uſu Linguae Gallicae*.

Multa ad hoc Fedus obſervanda, tum de iis, quae *inſunt*, tum quae *non inſunt!*

§. CCLXXXII. Sic via munita videbatur ad *Fedus mutuae defenſionis arctiorisque* cum Rege Galliae *Coniunctionis* (19). Id quod flagrante potisſimum cum Anglis bello ſtrenue urſerant multi, in his Nobilisſimus VAN DER CAPELLE TOT DE POL (20); ſed interpoſita nunc, quo conſilio? cum Imperatore acri controverſia, anno demum 1785. d. 8. Nov. (n. 1245.) eodem moderante et arbitrante Rege Galliae, cum eo compoſita; biduo post, a. 1785. d. 10. Nov. (n. 1248.) ſucceſſit avidis multorum id temporis votis deſideratum *Fedus mutui Auxilii* et *Confederationis* inter Regem Galliae et Belgas. De quo §. CCXLVIII.

Fedus Defenſionis cum Gallis a. 1785.

Fedus cum Gallis.

§. CCLXXXIII.

(19) *Decret.* OO. a. 1784. d. 26. Maii. *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, h. a. p. 1105.

(20) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1783. p. 2163. a. 1784. p. 485.

Digitized by Google

Reipubl. intus turbatae

§. CCLXXXIII. Ex hoc tempore Respubl., ab externo hoste nacta quietem, eo gravius ab internis quasſata est disſidiis, (iisdem nempe quae hodie univerſam fere Europam afficiunt) quorum, utinam et nomen, ſileri posſet et aeterna nocte ſepeliri! Quae dum flagrant, et Respublica per erectas civium armatorum cohortes (*Vrycorpſen*) eo iam redacta erat a. 1787. M. Sept. ut bellum civile in nervum erumperet, commode ac tempestive interceſserunt Reges M. Britanniae et Borusſiae; quorum alter *conſiliis*, alter *copiis* Rempubl. et labantem Ordinum Genn. auctoritatem reſtaurarunt. Gratiae pro praeſtita opera ab OO. Feder. Borusſiae Regi ſunt actae habitaeque; OO. Hollandiae Regi Galliae ex decreto declarant, conſtitutam esſe Rempublicam, petitoque ab eo auxilio renunciant (21); porro d. 16. Nov. irritam declarant et reſcindunt famoſum (ſic vocabatur!) Confederationis Pactum inter nonnulla publici Regiminis Membra (*Acte van Verbintenis van Regenten*) a. 1786. d. 8. Aug. initum (22). Cesſat ex mutua Declaratione *Angliae* et *Galliae* armorum facta deinceps praeparatio (n. 1259.).

opem ferunt Reges Angliae et Borusſiae a. 1787.

Respublica ſibi reddita.

§. CCLXXXIV. Atque ita Respublica (quamquam exhauſtis fere viribus et opibus) ſibi reddita pro conſervandis legibus Imperandi fundamentalibus, vi fati et discordiae fere pesſumdatis, ſollemni

(21) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1787. p. 5106. Cf. 5703.

(22) *Ibid.* a. 1787. p. 5688.

ni Pacto ſive nova OO. GG. declaratione a. 1788. d. 18. Febr. Leges Reipubl. fundamentales et formam publici Regiminis per Ordines tamquam S. Imperantem cum Gubernatore firmius ſanciunt (23). Arctior etiam Amicitiae Neceſsitudinis et Defenſionis nexus a. 1788. d. 15. Apr. (n. 1264.) cum Rege M. Britanniae intercedit, ex quo §. II. ſi alterutra gens hoſtilem in modum invadatur quacumque orbis parte, altera alteram terra marique defendet. §. III. Rex fidem ſuam interponit (*garantie*) pro conſervanda in perpetuum *Gubernatoris hereditarii dignitate et iuribus in sereniſsima domo Arauſiaca*, tamquam parte eſsentiali legum Belgii Federati fundamentalium (*faiſant partie esſentielle de la Conſtitution*) ex Decretis a. 1747, 1748, 1766. adverſus quaelibet in contrarium molimina. §. VI. Si qua Gens Europaea hoſtilia tentet in terris extra Europam ſitis, integrum erit locorum Gubernatoribus ſine ulla mora alterius gentis Gubernatores rogare auxilia. §. X. Dum de *Federe Commercii* agetur, Nationes invicem tractabuntur ut quaevis gens amiciſsima. §. XI. Repeti poteſt *Negapatnam* pro re aequalis pretii; et accuratius ſtatuetur de licita Anglorum per Orientem Navigatione.

Fedus Defenſionis init cum Britannis a. 1788. d. 15. Apr.

‡ Eodem die, ut p. 231. dictum, inter Regem Boruſsiae et OO. Belg. haud abſimile *Fedus Defenſionis* et *Garantiae* initum eſt.

§. CCLXXXV. His vero omnibus maius adiectum

Firmius adſtrictum,

(23) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1788. p. 250.

ctum eſt robur non modo ex ſollemniore Federe inter VII. Regiones d. 3. Iul. (n. 1268.), inito, cuius occaſione *numus* publicô iuſſu *cuſus;* ſed etiam ex mutuo inter ambos Reges praevio Federe

per Fedus Loãnum d. 13. Iun.

a. 1788. d. 13. Iun. (n. 1267.) in libera Principis Auriaci Dynaſtia Gelrica, *'t Loo* dicta, ipſo praeſente Rege Boruſſiae concluſo, cuius finis erat arctior Regum Coniunctio ad promovenda et defendenda mutua commoda, ſimul et confirmatio eorum, quae ratione Reipubl. Belg. acta et promiſſa erant. Succeſſit tandem d. 13. Aug. eodem a.

Per Fedus Berolinenle d. 13. Aug. Boruſſiae et Angliae.

1788. (n. 1269.) aliud maioris etiam momenti Fedus Defenſivum *Berolinenſe* inter eosdem Reges, cuius §§. I, II. renovantur priora Federa, promittitur mutua amicitia, defenſio, ac virium coniunctio ad ſervandam inter gentes tranquillitatem.

§§. III, IV. Si vero alterutra ab quapiam Gente Europaea moleſtia afficiatur, invicem promittunt iuvare 16000 peditum, 4000 equitum, qui tamen, ſi pars impugnata id malit, compenſari poſſint certa pecuniae ſumma. Rex tamen M. Britanniae iis copiis uti non poterit extra Europam, neque in oppido Gibraltar. Quae ſubſidia ſi non ſufficerent, pro viribus iuvabunt invicem.

§. V. Renovant ac ſollemniter confirmant non modo prius *Fedus Loãnum* d. 13. Iun. ſed fidem etiam interponunt pro tranquillitate, libertate, ac forma Regiminis Belgarum ex Pacto d. 15. Apr. Quod ſi eveniret, ut obligarentur augere ſubſidia ex iſthoc Federe Reipubl. Belgicae praeſtanda, vel eam omnibus viribus adiuvare: hoc caſu inter ſe communi conamine ac conſilio convenient ad defendendam Rempublicam. Si vero alterutra propter hanc

Digitized by Google

hanc Garantiam vel ex odio huius Confederationis ab quapiam gente moleſtia afficiatur vel hoſtilia patiatur: altera alteram omni modo iuvabit, et hoſtem ex §§. III, IV. propulſabit.

§. CCLXXXVI. Atque ita ad hoc tempus egregie conſultum eſt Reipubl., quae in id unum nunc maxime et acriter intenta eſſe videtur, ut *intus* exhauſtis aerariis, et damnis per bellum et turbas perpeſſis, ſuccurrat, *extus* vero per Federa *Navigationis* et *Commercii*, ſi obtineri poſſint, et alia per remedia, collapſam mercaturam inſtauret.

§. CCLXXXVII. Inſtituta Federum cuiusvis generis *Comparatione*, quae publica Belgarum cum Gallis et Anglis, per omnia tempora agendi ſit fueritque ratio, et *Syſtema politicum*; nunc facile colligi poterit. Reipublica ratio circa Gallos et Anglos.

Hoc interim dolendum! Dum Respubl. civili disſenſione ac bello Anglico luctabatur, reliquae gentes liberae ſtrenue ſuam Mercaturam et Navigationem promoverunt. Fuit hoc etiam temporis ſpatium ferax *Federum Commercii* alias inter Gentes, Hiſpanos, Auſtriacos, Ruſſos, Turcas, Danos, Anglo-Americanos, Siculos, Gallos, Anglos. Gentes interim ſua ſectatae commoda.

Quae vero aliis Gentibus hodie cum Anglis intercedunt Navigationis et Commercii Federa, hîc recenſere non vacat. Anglis illa proficua eſſe, docet ipſorum mercatura florentiſſima. Etiam Angli.

FEDERA CVM REGIBVS SCOTIAE.

§. CCLXXXVIII. Scotia post mortem ELISABETHAE a. 1603. cum Regno Angliae coniuncta ad unum Principem IACOBVM I. devenit. Ante id Regum Scotiae Federa.

id tempus Reges Scotorum cum Belgis ſeparatim res ſuas egerunt et Federa conciliarunt. Omisſo hic de iure FLORENTII V. Com. Holl. in Regnum Scotiae, a. 1291. d. 5. et 6. Iun. (n. 4.) in Regem Angliae translato; hic duntaxat de re mercatoria erit ſermo. Iam ineunte ſeculo XIV. ex veteri inter gentes more inter Reges Scotiae et Hollandos ac Zeelandos, ultro citroque Mercaturae *Privilegia* intercesſerunt (24). Ortae etiam inde Controverſiae (25), et alia longe plura Negotia, quae pasſim recenſentur (26).

Paullatim Federa mutuo conſenſu inita; quae inde ab a. 1427. usque ad a. 1551. conſervantur in Archivis OO. Zeelandiae (n. 40.) (27). Speciatim vero in oppido Zeelandiae *Campvera*, ubi Scoti multis deinde gaviſi ſunt Privilegiis, et iure fori ſive *Stapulae*. Cuius origo repetenda videtur ex nuptiis, quas WOLPHARDVS VI. Dynasta Borſaliae a. 1444. contraxit cum MARIA STVARTA, IACOBI II. Scotorum Regis ſorore. A. vero 1469. M. Mart. (n. 71.) ſub CAROLO I. Belgarum Domino magis generalia Mercaturae commoda ſunt ſancita, ad quae reſpicitur in illo Pacis Federe, quod post

(24) MIERIS, *Charterboek van Holland*, T. II. p. 208, 322. T. III. p. 257. ad a. 1321, 1323, 1371.

(25) *Ibid.* T. II. p. 433. a. 1327.

(26) *Ibid.* T. IV. p. 146, 188. etc. Add. WAGENAAR, *Beſchryving van Amſteldam*, D. I. bl. 142.

(27) Ad haec provocatur in Federe a. 1550. d. 15. Dec.

Digitized by Google

post bellum a. 1544. cum CAROLO V. inter MARIAM Scotiae Reginam et ipſum a. 1550. d. 15. Dec. (n. 137.) initum est, et a. 1551. d. 1. Maii, pro more aevi, mutuo iureiurando est ſancitum. Confirmatum illud est Libera Republica 1. per Edictum Ordinum a. 1587. (n. 201.) 2. per Fedus cum IACOBO I. a. 1594. d. 26. Iul. (n. 209.). Vnde multa ſuperſunt iura *Iudicum Conſervatorum*, quos vocant, vulgo *de Schotſche Court*; de quibus CAP. X. ſub titulo *Conſulum*.

FEDERA COMMERCII CVM REGIBVS HISPANIAE.

§. CCLXXXIX. Hiſpania Regnum ad Mercaturam accommodatisſimum, inexhauſtos divitiarum fontes complexum, ſi ſuis uti commodis nosſet! Iam mature igitur Belgis Mercaturae ſtudioſis cum Rege Hiſpaniae intercesſit *Fedus Navigationis*. Nec immerito! Durante bello PHILIPPVS II. et eius post obitum a. 1598. filius PHILIPPVS III. Belgis omni interdixerat Commercio. Ipſa ratio, cur Hollandi non citius quam a. 1581. PHILIPPVM eiuraverint, in ſola quaeritur *mercatura*; metuisſe enim illos, ne Rege hoste declarato etiam Belgis omni Mercatura in Hiſpania interdiceretur, quae incolumis manſerat. Luſitania a. 1580. Hiſpaniae adiecta, Belgae deinde ſpoliis orbis Eoi et Occidui Luſitanis adeoque Regi Hiſpaniae ereptis, ſe ditare pergebant. Durabant haec commoda, neque eripi haec ſibi pasſi per *Inducias* a. 1609. liberam pangebant Mercaturam.

Hiſpani

Belgae aemuli

ex Induciis a. 1609.

§. CCXC. Finitis vero Induciis Navigatio ſi non pro-

Fedus

Commercii a. 1650. prohibita, certe praepedita, neque ex quoquam pacto fuit libera, usque ad Pacem Monaſterienſem a. 1648. cuius Articuli §§. v, vi, viii, ix, x. una cum ſeparato Articulo d. 4. Febr. de Mercaturae *libertate* cavent. Mittuntur ſtatim *Conſules* Mercaturae cauſſa in portus nonnullos. Oriuntur dubia de ſenſu nonnullorum Capitum. Agitantur Controverſiae de perficiendis aliis Articulis. Opus igitur erat nova Interpretatione. Sic viſum tandem, ſeparato de his cavere Federe a. 1650. d. 17. Dec. (n. 434.) *Tractaat van Marine* dicto; ex quo, praeter omnimodam Mercandi facultatem etiam cum alterius hoste §§. i, ii, v., conceditur §§. iii, xiv. libertas quasvis vehendi merces ad Gallos, (Hispaniae Regis t. t. hostes), exceptis ſolis iis, quae ex ipſa Hispania ortae uſui bellico inſerviant (28). §§. v, vi, vii. ad alias tamen gentes hostiles *vetita* vehere non licet, nominatim *arma*, *milites*, *equos*, et quemvis *belli apparatum*; quae vero *licita* ſint, recenſentur. §§. viii-xii. cavetur de *literis commeatus*, de *perſcrutandis* navibus ac de *iudice*. §§. xiii, xiv. ſtabiliuntur Regulae de *navi inimica* et *amica* merces vehente *amicas* vel *hostiles*.

Novae elucidationes. §. CCXCI. Ortae vero ex hoc Federe a. 1663. controverſiae querelaeque *de vetitis* per Belgas ad Luſitanos devectis, contra ab Belgis de *captis* navibus ſuis per Hiſpanos, deque vectigali Osten-

(28) Haec tamen ſtipulatio temporaria a. 1714. §. xxxiii. est abolita.

endano a. 1667. (n. 591.), nova Conventio inita eſt a. 1676. d. 25. Nov. (n. 697.) de obſervando priore Federe, de dubiis explicandis, et de navibus ab hoste captis recuperandis. *Matricula* etiam Mercium a. 1680. d. 21. Dec. cum Rege Hispaniae confecta eſt; temperamentum quoddam adiectum a. 1684. d. 11. Dec. Implorata ea adhuc eſt ab Ordinibus a. 1704. et 1706.

§. CCXCII. Postquam ditiones Hispano-Belgicae ad ſtirpem Auſtriacam devenerunt: Ordines novo cum Rege Hispaniae PHILIPPO V. *Fedus Pacis* et *Amicitiae*, ſimul et *Commercii*, inierunt a. 1714. d. 26. Iun. (n. 928.) cuius fundamentum fuit Fedus Monasterienſe a. 1648. et Maritimum a. 1650. ex §§. x. et XXXIII. quo paſſim pleniſſima Navigationis et Mercaturae libertas ſtabilitur, multa vulgo ſtipulari ſolita adduntur; §§. XVII, XXII, XXIX. cavetur de Conſulibus. §. XVI. de Vectigalibus. §. XXV. ſqq. de iure *Albinagii*, testamentis, religione, ac ſepulturae cura. §. XXXVI. bello exorto mercatoribus *integri anni* et *unius diei* iustitium permittitur. §§. XIV, XVII. Quidquid autem favoris vel Privilegii amplioris obtineat aliquando Anglus vel Gallus, idem erit Belgarum (29). Sed in primis magni momenti ſunt §§. XXXI, XXXIV. Ex §. XXXI. non permittet Rex, ut qua gens peregrina naviget in Indias Hispanicas, ſed tuebitur *Navigationem* ex Lege fundamentali *Hispaniae*,

Fedus Commercii a. 1714.

(29) Hoc denuo promiſſum Federe Hiſpalenſi, a. 1729. d. 9. Nov. cui et Belgae acceſſerunt.

niae, prout ea erat tempore CAROLI II. Quod ut obſervetur, Ordines GG. curam habebunt, ſalvo tamen *Federe* temporario cum Anglis *de ſervis coëmendis*. §. XXXIV. Libertas *Commercii* ad *Europam* reſtringitur. Quod enim ad *Indias Hiſpanicas*, obſervabitur §. XXXI. Quantum ad Reipublicae poſſeſſiones *Indicas*, non aliter ac pro more. Ad Inſulas *Canaridum* idem ius OO. Feder. quod tempore CAROLI II.

Status hodiernus.

§. CCXCIII. Cum Hiſpanis ab hoc tempore Belgis non aliae intercedunt rationes quam *libera Navigatio* ex Feder. a. 1650, 1714. quae et implorata ſunt in Federe *Neutralitatis armatae*. Inſignia adhuc ſunt Belgarum emolumenta ex portu Hiſpaniae *Cadix*. Quae gentium clandeſtina eſt ad Colonias Regis Americanas, de ea ab parte Belgarum ſatis in iure cautum. Amant tamen has oras Angli, nec minus Belgae. Hinc deprehenſae ſaepe Anglorum ac Belgarum naves; ex deprehenſis acerrimae querimoniae; immo *arma*. Hinc *Anglorum* cum *Hiſpanis* bellum a. 1739. Cum *Belgis*, bella exoſis, res intra querelas et iuris tramites ſtetit.

Controverſiae.

§. CCXCIV. De numis, *piaſters* dictis, evehendis, eorumque aucto pretio *externo*, exſtant Belgarum a. 1727. cett. gravamina. A. 1739, 1747, 1761. ſq. ingentes ex nova Lege Navali querelae Hollandorum de navium depraedationibus. Alia Lex Navalis a. 1779. (n. 1180.) edita, cui itidem morem gerere Belgae detrectant, utpote Pactis contraria.

Quae Regis Hiſpaniae hoc tempore ſunt poſtulata de libera in Indiam ſuam Orientalem navigatione praeter Caput Bonae ſpei, dicam CAP. VI.

Alia-

Digitized by Google

Aliarum Gentium cum Hispanis Federa Commercii recenſet VON STEK (30).

§. CCXCV. Quod ad *Belgium* hodie *Auſtriacum!* quatenus per priores Reipublicae rationes et Pacta cum IOSEPHO II. nuperrime inita licet, vivitur ex *Federe Monaſterienſi*; neque plura illis in regionibus iura, ratione Reipublicae Belgicae, transferre potuisſe cenſendus est PHILIPPVS V. Rex Hiſpaniae a. 1713. et 1714. quam ipſe ab deceſſore CAROLO II. et ex pactis inſecutis habebat. A. 1736. d. 8. Oct. nonnulla ſtatuta ſunt de transitu mercium Indicarum, a. 1737. fruſtra laboratum cum Imperatore de *Federe Commercii* per Ditiones ſuas Belgicas; exſtat eius proſpectus a. 1738. d. 9. Aug. Nova de Matricula conamina a. 1749, 1752, 1759. De Societate *Ostendana*, ex pactis non licita, dicam CAP. VI. Belgium hodie Auſtriacum.

FEDERA COMMERCII CVM REGIBVS PORTVGALIAE.

§. CCXCVI. Luſitani inſignem et proficuam *extra Europam* etiamnunc agunt mercaturam. In *Europa*, ſi ab *Regno M. Britanniae* diſceſſeris, exigui est momenti, eaque parum ipſis utilis. Quod ad Belgas: iam mature cum Luſitanis interceſſerunt negotia et Mercatura (n. 25, 29.) (31). Durante bel- Luſitaniae ratio.

(30) Verſuch über Handels- und Schiffahrtsverträge, p. 45. ſqq.

(31) De veteri neceſſitudine WAGENAAR, *Beſchryving van Amſteldam*, D. IX, bl. 413.

Digitized by Google

Exuto Iugo Hispanico, bello civili Hispanis parebant. Exuto tandem a. 1640. Iugo Hiſpanico (§. ccx.) ademta interim ſibi loca in India Orientali et Occidentali vi armata repetebant; vim opponebant Belgae, nec praedam adeo divitem manibus ſuis eripi patiebantur. Rex

lites atque Induciae a. 1641. novus IOHANNES IV. quietis indigens *Inducias* ad 10. annos praefert a. 1641. d. $\frac{12}{22}$. Iun. (n. 373.) ex eo memorabiles, quod ſimul complectuntur *Fedus Navigationis* et *Commercii*, nec non mutui Auxilii promiſſa adverſus Hiſpanos, Belgarum adhuc hoſtes.

Hiſce pactis cavetur de poſſeſſionibus, ut quae quiſque in India Orientali et Occidentali teneret, interim quiete poſſideret; neque ea, quae in Regno Braſileënſi habebant Belgae, iuri postliminii ſubiicerentur §§. I, XXI, XXII.

§§. X — XV. Vt quae quiſque Hiſpanis adimant, ea ſibi ſervent, cum in Braſilia tum alibi. Quae porro communi opera in occidenti Hiſpanis auferantur, in commune dividantur. Eumque in finem §§. XXVII — XXXI. multa ſtatuuntur de mutuis ſubſidiis, militum conductu, praeda dividenda, etc.

Sed magna etiam Belgarum fuit cura in promovenda *Navigatione* et *Commercio*. Cavetur iccirco §§. IX, XVI. ut quiſque ſuas in Braſilia Ditiones privatim frequentet, nec Luſitani merces Braſilianas in Belgicam devehant; nec idem faciant Belgae in Luſitaniam. Reliquae gentes omnes iſto regionis commercio excludantur.

§. XVI. Vt ne Luſitani in India Occidentali aliis utantur navibus quam Belgicis.

§. XVIII. Neuter ad loca Indiae Hiſpanica merces vehat.

§§. XIX,

§§. XIX, XX. Libera ſit ad diſtinctas invicem Africae oras et Inſulam *St. Thomae* navigatio.

Adduntur et alia utrique genti perquam utilia.

Minus rite ſervatae.

§. CCXCVII. Quae dum panguntur, Claſsis Belgarum in India Orientali naves quasdam Luſitanicas prope Goam, et munimentum *Malacca* occupaverat. Rex fruſtra haec repetivit, quippe occupata ante initum Fedus. Naves ex §. XXVII. promiſsas recipit. Porro occupato in Inſula *Ceilanenſi* munimento *Punto Gale*, Luſitanos omni *Cinnamomi Corticis* commercio (*den Kaneelhandel*) turbare conabantur. Vnde Federe non obſtante (nec haec reticenda!) hostilem in modum multa fiunt. Cardo quaeſtionis erat, quousque ſe extenderet territorium ſeu Iurisdictio *Punto Gale* per agros. Ab hac quaeſtione multa pendebant.

Nova conventio a. 1645.

§. CCXCVIII. Ne hoc malum latius ſerperet, initum est a. 1645. d. 27. Mart. (n. 339.) Fedus temporarium inter Regem et Ordines, quo, ſalvo ex §. III. *utriusque iure*, ſtatuitur,

§. I. Vt, qui Munimentum poſsidet, eadem fruatur Iurisdictione per agros, qua tempore *Induciarum* gaviſus erat.

§. II. Vt durante controverſia Luſitani quotannis eo conferant 600 *quintales*, id est 60000 Libras *optimi Cinnamomi*, ad *f* 128 per *quintalem*.

§. IV. Vt ſi ex aequo ſopiri controverſia nequeat, arbitris *neutris* mandetur.

§. V. Vt ablata post promulgatum Fedus a. 1641. utrimque reſtituantur.

§. IX. Si qua interim in ipſa India Orientali inita foret Conventio, valeat intuitu §. V. non vero in reliquis,

Digitized by Google

Bellum Braſileën-ſe, diu et varie geſtum.

§. CCXCIX. Luſitanis vero, durante adhuc Federe *Induciarum*, ab ſua etiam parte haud quietis, novas in *Braſilia* et oris *Africae* res moliuntur; Belgas eiiciunt ex Regno Benguela, Angola, etc. ac fruſtra collatis conſiliis a. 1648. d. 20. Oct. (n. 423.) de inſtauranda concordia, oritur tandem bellum, varia fortuna ac multa per intervalla geſtum, ſed cuius exitus Belgis infauſtus, nec niſi interventu Regis Angliae compoſitum ex *Federe*, ut ita dicam, *permutatorio*, quo Luſitanis *Braſiliae* poſſeſſio eſt adiudicata pro *f* 8,000,000. a. 1661. d. $\frac{6}{16}$. Aug. (n. 526.) multis de cauſis memorabili.

Pacis Fedus a. 1661.

Pro dicta pecuniae ſumma parata pecunia vel mercibus Belgis ſolvenda omnes Controverſiae et Actiones adverſus Regem ac viciſſim perimuntur §§. I. et V.

§. II. Quotannis convenietur de coëmtione *Salis Cetobrigenſis* (*St. Ubes*).

§§. III, IV, VII, XIII, XXI. Libera Belgarum erit *Navigatio* per omne Regnum Luſitaniae, etiam ex Braſilia in Luſitaniam, et vice converſa; omnes vehere merces licebit, excepto *Ligno Braſilico*, et ſalvis ex aequo et ſtipulata a. 1653. Vectigalibus. Idem ius erit Belgis in omnes oras Africae Luſitanicae (32). Quod ſi hoc ius turbetur, integra erit

(32) *Il vaudroit autant abandonner ſes Colonies que de permettre aux étrangers d'y negocier*, inquit MABLY, *Droit Publ.* T. II. p. 463. Sed quid inde deinceps Belgae?

Digitized by Google

erit Ordinibus priorum temporum in omnibus actio, neque Regi pecuniam ex §. I. ſolutam repetendi erit facultas. Idem ius Regi esto, ſi ab Ordinibus violetur. Eadem autem, quae Anglorum, erunt Privilegia (33).

§. VI. Definitur tempus ceſſationis ab armis intra et extra Europam.

§§. VIII—XI, XIV, XV, XVII—XXIII. Cavetur de navium viſitatione, de Conſulibus, Albinagio, iudicibus, religione, piratis, navium bellicarum ingreſſu in portus, ſimilibusque.

§. XII. Permittitur Belgis ad hostes Luſitaniae advehere arma, apparatum bellicum, annonam, dummodo ne fiat exportatio ex Portubus Luſitaniae.

§. XXIV. Sed merces amicae, hostili in nave repertae, publicabuntur.

§. XVI. Fracta Pace 2 annorum Mercatoribus erit iustitium.

§. CCC. De hoc Federe diverſiſſima fuerunt iudicia. Varia in hoc pangendo peracta. Multa inde utrimque commoda et incommoda. Nonnullae Provinciae conſentire penitus recuſarunt. Hinc ratum demum habitum ab OO. GG. a. 1662. d. 24. Nov. Literae confirmatoriae tandem permutatae a. 1662. d. 14. Dec. neque promulgatum ante a. 1663. d. 25. Multa de eo dubia et querelae.

(33) Quaenam illa, haurias ex Federe Londinenſi, inter Anglos et Luſitanos a. 1642. (n. 375.), quod explicat MABLY, *Droit Publ.* T. II. p. 459—462. qui p. 464. recte obſervat, multa hoc in Feder. cum Anglis eſſe communia.

Digitized by Google

25. Iul. Plures quoque post paullo ab utraque parte querelae, inſimulationes; Belgae accuſantur distuliſſe Promulgationem in India Orientali, et interim occupaſſe *Cochin* et *Cananoor* in ora Malabarica. Multa utrimque prodiere ſcripta, cum publica, tum privata, pro captu cuiusque ſuo (34).

Luſitani exuti ora Malabarica.

§. CCCI. Quidquid hoc est; ab illo tempore Luſitani ora Malabaricâ penitus ſunt eiecti; deque eo a. 1669. d. 30. Iul. (n. 620.) novo Federe cautum. Vti et de *ſale* petendo ex ſententia arbitrali per W. TEMPLE procurata. Contra vero

Pacta a. 1668. ſqq.

Luſitanis a. 1668. d. 13. Febr. conceſſa est Colonia *St. Sacramenti* ad oram Septemtrionalem *de la Plata*, ea Lege, ut nulla exteris eo pateat Navigatio.

Provocatio ad Fedus a. 1661.

In Controverſia hoc ſeculo mota de Iure Luſitaniae, frequentandi oram Africae *Guineam*, quae Belgarum est, (de qua CAP. VI.) utrimque facta est provocatio a. 1725. ad Fedus a. 1661.

Quae cum aliis gentibus ſunt Luſitanorum Federa Commercii, narrant alii (35); dignum autem quod obiter hic memoretur Fedus cum Anglis a. 1703. d. 27. Dec.

FE-

(34) Nonnulla exſtant in Libro ad a. 1664. (n. 560.) add. LE CLERC, *Geſchiedenis der Vereenigde Nederlanden*, D. III. bl. 497. 4to.

(35) VON STEK, Verſuch über Handels- und Schiffahrtsverträge, p. 33. MABLY, *Droit Public de l'Europe*, T. II. p. 459.

FEDERA COMMERCII CVM IMPERIO ROMANO – GERMANICO.

§. CCCII. Dixi §. CCXII. de Imperio Romano-Germanico. Nonnisi generalia quaedam de Commercii libertate ſancita ſunt in Federe *Ryſvicenſi*, *Badenſi*, *Viennenſi* (a. 1697, 1714. 1738.); Belgae vero Pactis penitus carent (36). Quum a. 1715. cum *Imperatore* de Federe *Propugnaculi* ageretur, conati ſunt Belgae de *Commercio* in Germania nonnihil ſtipulari; ſed effici nil potuit, excepto quod §. XXVI. iſtius Federis de *Vectigalibus* nonnihil cautum, reliqua ad ipſum *Commercii Fedus* cum Imperatore reiecta; et interim ex *Pace Monaſterienſi* vivatur. Sed haec magis ad Imperatoris Ditiones Belgico-Auſtriacas, quam ad Germaniam ſpectant. Renovatum conamen est a. 1731. De Matricula ſerio actum. Vid. p. 289. Imperii Romano-Germanici, cum Belgis ratio.

FEDERA COMMERCII CVM IMPERII R. GERMANICI PRINCIPIBVS.

§. CCCIII. Neque cum his quidquam momenti. Belgis curae cordique ſemper fuit, ut ne Vectigalibus ad Rhenum, Moſam, et alibi locorum, nimis onerentur; hinc de *Matriculis* crebro actum; et plures Controverſiae: de quibus CAP. II. Rex Boruſſiae, ex ſedula civium ſuorum cura, inſignia hoc Principes Imperii Germanici. Rex Boruſſiae.

(36) Sic rationes ſubduxit VON STEK, Verſuch über Handels- und Schiffahrtsverträge, p. 106.

hoc ſeculo commoda ex Navigatione et Mercatura percipit (37). Hinc Federa requiruntur. Cuiusmodi ab ipſo iam inita cum *Rege Galliae* a. 1753. d. 14. Febr. cum Duce Saxoniae a. 1766. d. 18. Iun., cum Rege Poloniae a. 1775. d. 18. Mart., cum Federatis Anglo-Americanis a. 1785. d. 10. Sept. (38). Cum Belgis vero ex Federe Defenſivo a. 1788. d. 15. Apr. §. VII. ſpes affulget, fore, ut per mutuum *Commercii* et *Navigationis Fedus*, arctius conſtringantur utriusque gentis commoda! Multum hoc certe noſtra intereſt, ſi ſpectes ad Vectigalia Germanica, et fluvium Viſtulam, ad quem portus *Gedanenſis* (*Dantzig.*). De erecta *Societate Embdana*, dicam CAP. VI.

FEDERA COMMERCII ET ALIA CVM REGIBVS DANIAE ET NORVAGIAE.

Regum Daniae.

§. CCCIV. Cum Regno Daniae et Norvagiae longe maior ab prima aetate Navigationis neceſſitas et Commercii ratio. Dani Belgis ſuppeditabant merces Boreales, in primis Ligna, navibus ſtruendis idonea. Clauſum Freto *Mare Balthicum*, iure gentium *liberum*, tutabantur *Privilegia* et *Pacta Conventa*. Ex his permulta iterum, ut inter Gentes fit, negotia, diſſidia, Legationes, etc.

Pri-

(37) Recenſet ea VON STEK, Verſuch über Handels- und Schiffahrtsverträge, p. 137.

(38) Baro DE HERTZBERG, *Recueil des Deductions -- Traités*, cett.

Digitized by Google

Privilegia ad promovendam Mercaturam et Navigationem iam mature ſub Belgarum Principibus conceſſa ſunt ab Regibus: cuiusmodi iam a. 1316, 1443, d. 24. Aug. a. 1452, 1461, 1495, 1498, 1524, 1531. ex quibus inter alia *Piſcatura* et Mercatura in *Inſula Scania* (*Schoonen*) et libera in Norvagiam *Navigatio*. Idem fecerunt Hollandiae Comites (n. 33.). Neque per *Privilegia* agi deſitum eſt ſub Republica libera, a. 1594. d. 2. Maii, a. 1596. (n. 208, 215.). Controverſiarum etiam abunde, quae armis (39) et pactis ſub PHILIPPO Bono Duce Burgundiae, egregio mercaturae promotore, compoſitae (n. 50, 52.). Vetuſta Privilegia.

§. CCCV. Maioris momenti eſt *Fedus Spirenſe* inter CAROLVM V. qua Belgii Principem et CHRISTIANVM III. Regem Daniae a. 1544. d. 23. Maii (n. 125.), libera etiam Republica famoſum ſub titulo: *'t Erftractaat van Spiers*. Hoc Federe multa, quae olim *Privilegia* fuerant indulta, confirmantur; ac nova conceduntur *iura*. In eo hoc ſingulare quod §. II. Rex Pacta cum *Regg. Gall. Turcis aliisque* in praeiudicium CAROLI V. inita, declarat irrita; et vice conversa. Fedus Spirenſe a. 1544.

Ex ſtipulatione vero §. I. de ſolvendis *conſuetis* vectigalibus *Oreſundicis*, iis vero labente tempore ab Rege *auctis*, acerrimae ſurrexerunt contentiones, ſimultates, odia, quae durarunt, usque in *li-*

(39) Volunt noſtrates, Hollandorum Vrbes tunc proprio marte naves ornaſſe et bellum cum Danis geſſiſſe. Sed errant. Curia Principis mandata dederat.

Digitized by Google

liberam Rempublicam; eaque magna ex parte inſecutis *Commercii Federibus* originem dederunt.

Ipſum *Fedus Spirenſe* OO. Fedd. valere Republ. libera cenſebant, Rex negabat. Quamquam autem de iure non valuiſſe videri poſſit, valuit tamen ex *Pacto*.

Fedus a. 1621. irritum.

§. CCCVI. Nempe re Belgg. magis ex voto fluente, et inſtante (ut putabatur,) a. 1607. *Pace* cum Hiſpanis; Rex miſſâ Legatione quadam de cauſſa ſocium ſe Paci additum volebat. Durante vero de *Federe Spirenſi* disſidio, quum Ordines ad tuendam maris Balthici Navigationem ſe arctius iunxisſent, puta Regi Sueciae (n. 272, 277.) aliisque (n. 271, 281, 285, 286, 291.) tentata tandem est concordiae via, inito Federe a. 1621. (n. 296.) ſed hoc ratum habere Rex detrectabat.

Belgae iuvant Danos ex pactis.

§. CCCVII. Interim Belgae, utcumque gravi cum Hiſpanis bello presſi, tantis tunc valebant vel viribus vel audacia, vel utroque, ut contra Imperatorem et increſcentem Domus Auſtriacae potentiam ex Pacto Subſidiario a. 1625. d. 6. Oct. 3000 milites Danis pollicerentur, cum iisque, ſimul et cum Anglis Fedus Defenſivum et Offenſivum inirent (n. 320.). Et a. 1628. Regi ab Imperatore presſo opem laturi varia apud Suecos Polonos aliosque agitant conſilia. Copias ſuas praeſidiarias in munimentis ad Fretum Oreſundicum ſitis collocandas offerunt. Sed honeste recuſantur.

Fedus Defenſionis a. 1640.

Sequente tempore, ex Federe cum CHRISTINA Regina Sueciae a. 1640. (n. 368.) auxilia Suecis adverſus Danos praeſtare obligati miſſa in Fretum Oreſundicum claſſe *Pacem* ſimul ac *Fedus Commercii* a. 1645. d. 13. Aug. (n. 391.) inter *Danos*

et

et *Suecos* promoverunt, quod ab oppido id nominis *Bromſeboënſe* dictum; quo non modo de libera navigatione per Fretum Sundicum et de maris Balthici libertate et immunitate Vectigalium in favorem Sueciae caverunt, ſed res etiam ſuas ſtrenue egerunt iidem Belgae. Postquam enim diu haeſerant de *Vectigalibus* controverſiae, utcumque ex amica transactione ad tempus interdum ſopitae (uti a. 1641. n. 374.) tandem eodem die 13. Aug. a. 1645. (n. 392.) primum veri nominis *Fedus Commercii* et *Navigationis* conciliarunt, Belgis admodum proficuum, in 40 annos duraturum, quo

Danis Pacem conciliant.

Fedus Commercii a. 1645.

§§. III, IV. Plena mercandi navigandique Libertas ſancitur, et naves exhibitis tantum literis nulli viſitationi ſubiiciuntur.

§. II. Vectigalia in Freto Sundico ſolventur per 40 annos, ex *Matricula* utrimque ſignanda; ceſſabunt reliqua. His annis elapſis valebit iterum *Fedus Spirenſe* niſi aliter conveniatur.

§. XII. Confirmantur priora Privv. privatis urbibus, Amſtelodamo, Harderovico, cett. conceſſa.

§§. X, XVII. Exactiones iniquae inde ab a. 1641. ſolutae reſarcientur. §. XVI. quod ſemel ex navi ſolutum, non ſolvetur amplius. §§. XIII—XV. nulla erit navium detentio, ac merces, etiam navi peregrina, vehentur libere. Maximi Belgis momenti erant §§. VII-IX. quibus facultas datur *materiam* ſeu *Lignum navale* ex Norvagia petendi; ſtabilitur navium *menſura* et vectigal *Norvagienſe*. Hoc Vectigal, Belgis celebre, titulo *de Noordſche Tol*, *de Houttol van Noorwege*, ad differentiam vectigalis *Sundici*, *Oreſundici*, vulgo *de Sondſche of Deenſche Tol*, dj-

dives deinde controverſiarum materia. Dubia ſtatim inde enata, uti et alia de navium *menſura*, novo Pacto ſunt ſublata a. 1647. (n. 409, 410.). Atque haec ante Pacem Monaſterienſem.

Alia pactio a. 1647.

Duplex Fedus a. 1649.

§. CCCVIII. Belgae inita Pace, ab Gallis; Dani ab Suecis metuentes, a. 1649. d. 9. Oct. (n. 427, 428.) duplex inierunt Fedus, alterum *mutuae intra Europam defenſionis*, alterum ad amputandas omnes in poſterum controverſias, ab *redimendis* vectigalibus, *het Tractaat van Uitkoop of Redemtie*, celebri nomine appellatum, utrumque ad 36 annos duraturum.

Defenſionis.

Priori Pacto confirmantur omnia anteriora Federa, quatenus nihil his derogabatur, ac determinantur copiae auxiliares, modus, et impenſae.

Redemtionis vectigalis.

Ex altero OO. Belg. pro ſumma *f* 350000. quotannis ſolvenda (et hinc iudicium de Belgica Navigatione!) redimebant omnia vectigalia, ac ſtipulabantur liberum navium ac mercium per ſinum maris Balthici tranſitum.

§§. IX, X. Eaſdem immunitates durante Pacto Rex indulgebit nemini.

§§. XI—XIII. Rex in ſe ſuſcipit omnes in *Pharos* et Vadorum ſigna expenſas.

§. VII. Definitur modus ſalutandi Arcem Cronenburg.; et quinque navibus bellicis, etiam non monito Rege, fretum tranſire licebit.

Habent duo haec Federa aliquid *ſingulare* ex Ordinum *ſuffragiis* et *ratihabitione*, a. 1651. d. 3. Mart. demum ſecuta. Sed de his ſeparatim exponam CAP. IX. Verum non diu duravit hoc Fedus *Redemtionis*.

Alia Pacta

§. CCCIX. Oriebantur ſtatim difficultates, etiam

ab

ab exteris Gentibus; Regem, ſuae facilitatis poenituit; Belgae etiam reſcisſionem haud gravate ferebant: unde, post novum mutui Auxilii et Offenſionis adverſus Anglos Fedus a. 1653. d. 18. Febr. (n. 452.), ex quo Dani Fretum Oreſundicum Anglis claudebant, alia intercesſit Conventio d. 26. Sept. (n. 455.) quae ab hac reſcisſione celebratur nomine, *'t Verdrag van Reſcisſie*, qua priora Federa renovantur, et de pecunia ante ſoluta convenitur.

a. 1653.

Reſcisſio Redemtionis.

§. CCCX. Post a. 1654., quo CHRISTINAE in Suecia ſucceſſerat CAROLVS GVSTAVVS, Sueci bellum inferunt Polonis; Polonos iuvant Auſtriaci, Rusſi et Dani; urbs *Gedanum* (*Dantzig*) armis exponitur. Hinc Ordinum metus, ne libera maris Balthici navigatio praepediatur: mittitur rogante Dano a. 1655. ſq. clasſis in Fretum ſub praefecto *Wasſenario*; initur Fedus a. 1656. d. 16. Aug. (n. 478.) quo mutua ſancitur defenſio; libera per Mare Balthicum navigatio, ut et Vrbis Gedani adverſus Suecos eam prementes tuitio. Flagrante inter Danos ac Suecos bello, parum iuvantibus Belgarum cum Suecis Pactis (n. 476, 479.) renovantur a. 1657. d. 27. Iun. (n. 486.) priora cum Danis pacta cum *Defenſionis*, tum *Navigationis* usque ad a. 1685.

Nova Defenſionis Pacta a. 1656.

Defenſio Maris Balthici a. 1656.

Sed parum haec Danis profuerunt, ſi quidem Rex Daniae, antequam promisſa auxilia Belgae praeſtare poterant, *necesſitate* presſus, Pacem *Rotſchildanam* a. 1658. d. 27. Febr. (n. 489.) cum *Sueco victore* inire compulſus fuit; et Belgae arrepta hac occaſione, a. 1658. d. 15. Apr. (n. 491.) omnes de *Vectigali Norvagienſi* et *navium menſura* dif-

Pax Rotſchildana cum Suecis.

difficultates Novo Pacto aboleverunt. Rex tamen Sueciae, ortis dubiis, Daniam denuo invadit. Belgae auxilia ex Federe praeſtant. Mittuntur claſſes; emicuit virtus WASSENARII et RVITERI in mari Balthico; Fretum Sundicum aperitur, Multa ſunt Belgarum, Anglorum, et Gallorum conamina de reconciliandis Regibus: unde repetenda Pacta inter illos Conventa a. 1659. d. 3. Febr., 21. Maii, 24. Iul. et 4. Aug. (n. 497, 500, 502, 503.); tandemque *Mediatoribus* etiam OO. Feder. Belgii a. 1660. d. $\frac{27.\ \text{Maii}}{6.\ \text{Iun.}}$ (n. 514.) Pax coaluit inter novum Sueciae Regem CAROLVM XI. et FREDERICVM III. Regem Daniae.

Belgae iterum iuvant Danos.

Pacem promovent a. 1660.

§. CCCXI. Noſtra auxilia Danis magno conſtiterunt. Vt debitis ſe extricaret Rex, a. 1661. d. 25. Mart. (n. 523.) interiecta cautione, omnia Freti Sundici Vectigalia pro *ſorte* et *uſuris* pignori obligavit. Orto quidem a. 1664. inter Anglos et Belgas bello, Rex Daniae ab Anglis incitatus hac uſus belli oportunitate illo ſeſe federe pigneraticio liberare conabatur. Verum mutata ſubito ſcena; Angli Danis haud admodum aequi. Belgae Danos ab Anglis abſtrahere, ſuasque in partes trahere. Hinc inopinata fit gentium coniunctio; lites componuntur, et, quod mirum dictu, opera WITTII, uno Belgae die, a. 1666. d. 11. Febr. ſeptem ſeparata Pacta cum Danis ineunt, eosque adverſus Anglos armant. Eminet in his *Fedus mutuae Defenſionis* ac *Commercii* (n. 572.) ex quo Rex Daniae §. 1. durante cum Anglis bello non admittet naves Anglorum *Bellicas* in maria et oras Daniae, ſalva mercatura (n. 578.). Adiiciuntur *Arcana* quaedam *Capitula*,

Rex Daniae oppignerat Vectigalia a. 1661.

Arctius ſe iungit Belgis.

Digitized by Google

ſa, quibus convenitur, ut Dani, poſt Ratihabitionem, *aperto* ſtatim *marte* Regem Angliae adoriantur; definito ſimul auxilio et belli gerendi modo. Reliquis *Pactis* (n. 573—577.) agitur de redimendis vel compenſandis poſtulatis pecuniariis, de Vectigalibus, de Mercatorum querelis, de cavendis dubiis circa Vectigal Norvagienſe. Quod vero omnem fere fidem ſuperat, teſtata tamen res eſt! ſeparatum hocce et Arcanum Fedus, ſeu *Federis Additamentum* tam occulte tractatum, ut eius ne argumentum quidem ad ſingulas Provincias miſſum ſit, ſed ratum habitum, ipſis earum Ordinibus, quid ratum haberent, ignorantibus. Tanta tunc valuit auctoritate WITTIVS! Latuit id ipſum Galliae Regem, qui arcana interim conſilia agitabat, et rem aegre ferebat; postquam vero *ſecreta* reſcivit capita de Anglis oppugnandis, mutavit ſententiam, Pergunt tamen Ordines, et Gallum metuentes, eius ingratiis, eodem anno 1666. d. 25. Oct. (n. 589.) Fedus Quadruplex mutuae Defenſionis, etiam cum Danis, ſociabant.

De debitis, etc. convenit a. 1666.

Fedus Quadruplex.

§. CCCXII. Rebus vero per bellum Gallicum a. 1672. vehementer afflictis Belgae inter alia rebus firmandis Regem Daniae ſollicitant; cuius in Belgas tunc praeclara fuere merita. Nam praeter *Fedus Defenſionis* a. 1672. d. $\frac{12}{22}$. Sept. (n. 653. ſq.) una cum Imperatore aliiſque,

Federa Defenſionis a. 1672. ſqq.

1. Separatim etiam a. 1673. d. $\frac{10}{20}$. Maii (n. 658.) ineunt *Fedus Auxilii* et *Defenſionis*, quo Rex in procinctu haberet 20 naves bellicas et 12000 homines, tuendae Navigationi et Mercaturae ad oras Daniae. Si plures ſe Gallis iungant hoſtes, praeter ſtipulatas ex Fedd. a. 1649, 1657. et 1666. co-

copias communis foret belli cauſſa, datis 40 navibus et 20000 homines, donec Pax communi conſenſu coaleſcat.

2. Post aliud Danorum cum Imper. LEOPOLDO adverſus Gallos Fedus (n. 670.) Dani non modo acceſſerunt a. 1674. d. 10. Iul. (n. 678.) ad Fedus generale Defenſivum, ſed eodem die ſeparatum etiam Fedus Auxilii et Subſidii (n. 679.) cum Belgis eiusque ſociis inierunt: cuius §. xx. priora Federa confirmantur, et hoc Fedus poſt initam pacem per 15 annos continuatur.

Renovantur priora Federa a. 1686. et 1691.

§. CCCXIII. Post Pacem Neomagenſem quum in eo res eſſet, ut priora Pacta a. 1685. ceſſarent, novis ortis litigiis et ab Gallo motibus, moderante Electore Brandeburgico, in anteceſſum a. 1686. d. 6. Iul. (n. 755.) in biennium magni momenti Pactum convenit. Flagrante deinde ipſo cum Gallis bello, et novis identidem ſubortis de vectigalibus, de mercium vectione, aliisque, quarum ferax est Mercatura, controverſiis, Belgae et Angli, Edictum Regis Daniae *de Gallica Navigatione* amplexi, Fedus cum eo ineunt temporarium a. 1691. d. 30. Iun. (n. 785.), quo inter alia ſtipulantur:

§. I. Vt ne arresto detineantur naves vel merces, niſi obſervato §. IV. Federis a. 1679. d. 12. Oct. inter Belgas et Suecos.

§. II. Vt novo Commercii Federe accurate deſignentur *vetita*; interim in 8 vel 9 menſes obſerventur, quae Dani propoſuerant.

§. III. Vt, ſalvis portubus neutris, Dani bona hostilia ex uno in alterum Galliae portum ne transvehant.

§. IV.

§. IV. *Salutatio* ab Danis fiat ex Federe Suecico §. XX.

§. V. Nullae Literae *Municipales* et quas vocant *Naturaliſationis* dentur, niſi adiecta lege de fixo per 10 annos Domicilio.

§. VI. Rex Daniae omnem piraticam prohibeat.

Adduntur nonnulla Explicationis Capita; in his §. VI. de ſpatio 24 horarum interpoſito inter itinera navis amicae et hostilis, e portu ſolventis.

Fedus Odenſeanum Defenſivum a. 1701.

§. CCCXIV. Inſtante bello ſociali, Belgae adverſus Gallos cum Danis et Anglis ad 10 annos novum et arctius inierunt Fedus mutui Auxilii, ab loco dictum *Odenſeanum*, a. 1701. d. 20. Ian. (n. 841.), arctius adſtrictum d. 15. Iun. (n. 844.). quo §. I. confirmantur *Pacta Subſidiaria*. §. III. Rex Daniae bello orto promittit ad Commercii ſecuritatem claudere omnes ſui Regni portus navibus bellicis, niſi ſi naves certo numero mercatorias conducant. §. XVI. In omnibus bonis ac mercibus aequa erit Belgis ratio atque ipſis ſubiectis. Reliqua ſpectant ad auxilia, ad ſubſidia pecuniaria, ad caſum Federis, et §. XIV. ad promisſum novum *Commercii Fedus.*

Fedus Commercii a. 1701.

§. CCCXV. Vi huius promisſi tandem a. 1701. d. $\frac{15}{25}$. Iun. (n. 843.) initum est *Hafniae*, Danos inter et Belgas, Fedus *Commercii* et *Navigationis* (vulgo *'t Tractaat van Koppenhage*).

Eius Capita.

Multa quidem inſunt istiusmodi Federibus communia; dantur tamen huic Regno propria; quumque omnium ſit recentisſimum, idcirco hîc paullo accuratius recenſendum; ſiquidem omnem navigandi mercandique libertatem, vectigalia, nec non privilegia et immunitates, tum in Norvagia, tum in

Dania, accurate deſignet. Eius Baſis est Fedus a. 1645.

§§. II — V. Cavetur de Vectigalibus in Freto Sundico, et horum Indice ſive *Matricula* (*Toltarif*), in 20 annos proximos duratura.

§§. X — XII. Eadem Belgarum ac Danorum erit navium Libertas, et modus viſitandi literas.

§. XIII. Accurate recenſentur *merces vetitae*, quarum diverſa ab reliquis est ratio. Prohibentur quippe ad hostes vehere quaecumque *armamenta maritima* et *terrestria*; ne *pix* quidem *liquida* et *cannabis* excipiuntur.

§§. XIV — XVI. et XXI. Ceſſabunt omnia Edicta Regia; et ſi qua merx Belgica navi extera vehatur, ſoluto Vectigali libera erit in omnibus bonis ac mercibus. In his aequa erit Belgis ratio atque ipſis ſubiectis. Quae quantivis momenti Belgis est ſtipulatio.

§. XVII. Excepta Suecorum immunitate Belgae iisdem quibus aliae gentes privilegiis gaudebunt.

§. XIX. Naves Bellicae 6 numero libere accedent, dummodo nemini noceant, ne hosti quidem, ante 24 horarum disceſſum.

§§. XXII — XXVIII. Agitur de navium *menſura*, de *lignandi* et *ligna emendi facultate*, de loco onerandi, et de vectigali ſolvendo.

§§. XXIX — XXXI. De *portoriis*, pecunia *ancoraria*, de *pharis* et *igniariis*.

§. XXXII. Confirmantur non modo priora Federa, quatenus his non derogatur, ſed omnia etiam privata Privilegia olim indulta.

§. XXXIII. De hoc Federe continuando 2 annis ante finem agetur.

Digitized by Google

§. CCCXVI. Ad calcem Federis annexa est ex §. II. *Matricula*; neque alia quod ſciam hodie datur, renovata adhuc a. 1721. (40). Adiectum quoque est Edictum Regis FREDERICI, quo ſtatutum de mercede Receptorum vectigalium, aliaeque de ipſis vectigalibus ac de monetae valore cautiones (41). Matricula a. 1701.

§. CCCXVII. Quae deinde cum Danis a. 1704, 1717, 1723. et 1727. fuerunt concertationes, in his de captis ab *Zeelandis* navibus, de postulatis Regiis pro Subſidiis in bello ſociali Reipubl. praeſtitis, et id genus ſimilia: de iis ſub CHRISTIANO VI. amice transactum est a. 1731. d. 3. Sept. (n. 1002.). De *piscandi* libertate ad oras Daniae et Yslandiae a. 1635, 1741, 1776. dicam CAP. VIII. De aliis extra Europam gestis CAP. VI. Aliae Controverſiae.

§. CCCXVIII. An haec cum Danis *Federa Commercii* diſerte ſunt renovata? De novo Federe a. 1726, 1738. et 1739. actum, volunt nonnulli. De §. XXXI. ſuper *igniariis* (id quod non modo Belga- Status hodiernus.

(40) Vocatur ea WAGENAAR, *Beſchryving van Amſteldam*, D. IX. bl. 402. *de laatſte Tollyst*; et D. DE MARIEN, *dans ſon tableau des Droits & Uſages de Commerce relatifs au paſſage de Sund*, Coppenh. 1778. p. 18. 8vo. (libro Mercatori Belgae utilisſimo) nuncupatur *le plus generalement adopté, & qui est encore en vigeur.*

(41) *Ibid.* DE MARIEN, p. 17. ſqq. p. 66. *l'Etat Polit. de l'Europe* T. IX. p. 147. *Recueil van Zeezaken*, D. III. bl. 127.

Digitized by Google

garum ſed omnium Gentium intereſt) hodie cum Republ. ſupereſt Controverſia, magno navigationis damno, teſtante DE MARIEN l. l. p. 3.

Atque ita vere dixeris, Reipublicae noſtrae multa cum *Danis* interceſsiſſe mutuae Defenſionis; plura etiam *Commercii* et *Navigationis Federa*; crebra de *Vectigalibus* Pacta Conventa ex mutua neceſsitate repetenda; nulla vero, quod equidem ſciam, *Pacis Federa*. Qui Danorum cum aliis Gentibus ſit nexus, noſſe Belgarum intereſt (42).

FEDERA COMMERCII ET ALIA CVM REGIBVS SVECIAE.

Vetuſta Mercaturae ratio.

§. CCCXIX. Belgarum cum Suecis, iuxta ac Danis, maturrima fuit Navigationis et Commercii neceſsitudo. Teſtantur de ea ſcriptores; rem probant *Privilegia* a. 1368. d. 25. Iul. (n. 23.) et quae multa deinde interceſſerunt negotia!

Aeris Suecici coëmtio.

§. CCCXX. Sub libera Republica praeſtantia *Aeris Cyprii* Suecici (*Sweedsch Koper*) anſam etiam Pactis praebebat, a. 1613. (n. 272.) et a. 1616. (n. 286.). Ex hac vero coëmtione crebrae deinceps controverſiae et novae Pactiones a. 1617. d. 15. Sept. a. 1618. d. 26. Nov.

Maris Balthici navigatio.

§. CCCXXI. Sed maior erat de maris Balthici li-

---

(42) De quo VON STEK, Verſuch über Handels- und Schiffahrtsverträge, p. 140. et J. J. MOSER, Verſuch eines Neueſten Europiſchen Volkerrechts, T. VII. p. 465.

Digitized by Google

libertate ſollicitudo. Quum metus eſſet ab Danis; Suecorum autem iuxta ac Reipublicae perquam intereſſet, ut libera ac tuta illic eſſet Navigatio, mittitur a. 1610. ad Suecos Legatio; orto interim Suecos inter et Danos bello, et turbata mercatura, hinc OO. Fedd. primo a. 1613. d. 30. Mart. (n. 271.) cum Vrbe Lubeca, accedentibus deinde aliis urbibus maritimis, ad 15 annos inierunt *Fedus Commercii* ac *Defenſionis* navigationis per Mare Balthicum et Boreale; cui deinde ſequente anno d. 5. Apr. (n. 277.) ſocium ſe dedit Rex Sueciae GVSTAVVS ADOLPHVS, quo mutua promittuntur auxilia adverſus quosvis hostes navigationem turbantes, neque ullo modo hos iuvabunt *conſiliis*, *copiis*, *pecuniis*, *annona*, et *bellico apparatu*: ſalva tamen ex §. VI. libertate Mercandi ad urbem Rigam aliosque portus, Regi Sueciae inimicos, niſi ſint *loca obſeſſa*. tutanda per Federa a. 1613.

§. VII. Libera in utriusque territorio *militum* erit conſcriptio, *nautarum* conductio, praedae hostilis venditio.

§. VIII. Salvo in omnibus Regi Sueciae iure ſuo ac Dominio *Maris Balthici*.

§. IX. Belgae iisdem, quae antiquitus habuerant, Privilegiis gaudebunt.

§. X. Neque per haec praeiudicium adferetur Federibus Regiis cum aliis Gentibus, nominatim cum Danis a. 1613. M. Ian.

§. XII. Fit ſtipulatio de admittendo utrimque *Legato ordinario* (*Ordinaris Ambasſadeur*).

§. CCCXXII. Ex alio Pacto a. 1614. (n. 278.) ſubſidia orto bello praeſtanda definiuntur. Atque ex his vere praeſtita ſaepe ſunt auxilia, potisſi- Ex Pactis a. 1614.

 mum

Digitized by Google

mum adverſus Danos Maria infeſtantes vel Vectigalia in Fretis (per quae in mare Balthicum navigatur) exigentes. Neque Ordines etiam Suecos ſemper prohibere poterant ab augendis vectigalibus. Vnde occaſio Federis cum Regina CHRISTINA,
a. 1640. post miſſam eo legationem (n. 367.), a. 1640. d. 1. Sept. (n. 368.) quod initum §. 1. dicitur *pro aſſerenda ſecuritate et libertate Navigationis et Commerciorum in utroque mari, Balthico et Septemtrionali ad angustias usque Maris Anglo-Gallici, ſive Canalem excluſive extendenda, pro praeſtanda defenſione*, etc. Adduntur ſecreta capita de caſu Federis, de modo praeſtandi auxilia (n. 369.), et conſtituitur Mercium *Index* ſive *Matricula* (n. 366.). Sic res Belgica promoveri quammaxime cenſebatur.

Dani et Sueci conciliantur per Belgas a. 1645.

§. CCCXXIII. Bello vero inter Suecos et Danos coörto; unde ingens nostrae navigationi periculum; inſignis Reipublicae fuit opera in promovenda Pace per *Fedus Bromſeboënſe* a. 1645. d. 13. Aug. (n. 391.) pro quo ex *Pacto Suderocrenſi* d. 15. Aug. (n. 394.) *Garantiam* ſuam interponunt OO. Fedd. et mutuum promittunt auxilium adverſus Danum, ſi quid moliatur; cum eodemque etiam convenit ex §. CCCVII.

Fedus Elbingenſe a. 1656.

§. CCCXXIV. Vt autem, quae ab parte Reginae CHRISTINAE, tempore belli nostri CROMWELLIANI, interceſſerant *cavillationes*, in posterum praeciderentur, in primis quum, propter Regis CAROLI GVSTAVI, Poloniam armis petentis, rapidum victoriarum curſum, augeretur Ordinum cura de impedita Maris Balthici navigatione; placuit novum *Fedus Elbingenſe* a. 1656. d. $\frac{1}{11}$. Sept. (n. 479.)

Digitized by Google

479.) cuius princeps ſcopus erat, confirmatio Federum a. 1640. et 1645., libertas Commercii, et ut ne, durante illis in oris bello, maris Balthici navigatio turbaretur; ut ne graviora quam ex Matricula Vectigalia exigerentur; neque plura quam indigenis onera imponerentur, atque eodem, ſi velint, iure utantur Angli, Galli, Dani, Brandeburgenſes. Denique ut, ſalva fide Regi Poloniae praeſtanda, urbs *Gedanum* (*Dantzich*) hoc Federe comprehendatur ex Pacto Ordinum cum Vrbe d. 16. Iul. (n. 476.), et ex alio Belgarum cum Danis Polonos iuvantibus Pacto d. 16. Aug. (n. 478.). Verum Ordines illud Fedus *ratum* habere recuſant niſi capita quaedam clarius explicarentur.

Pax Rotſchildana a. 1653. promota.

Sed fruſtra.

§. CCCXXV. Pace interim *Toſtrupia* a. 1653. d. 18. Febr. et *Rotſchildana* d. 8. Mart. (n. 489.) Suecos inter et Danos, malo quamquam omine, intercedente, et iterum fracta, Belgae Danis opem ferre obligati, fruſtra cum Anglis et Gallis (n. 497, 502, 503.) per conſilia, nec non per arma, miſſa in Fretum Sundicum claſſe, de pace laborant, et opem mediatricem offerunt ex *Pacto Hagano* (n. 500.) cuius tamen formula neutri placebat. Hanc occaſionem arripiunt Ordines, et ab Rege Sueciae, praemiſſa *de mutua amicitia* colenda declaratione (n. 505.) obtinuerunt aliud de Mercatura Pactum, ſibi proſicuum, a. 1659. d. 9. Dec. (n. 508.) quod a loco dicitur Pactum *Helſingorae* (*'t Tractaat van Elſeneur*), ab explicando vero Federe *Elucidationes Federis Elbingenſis*: quippe quo multae controverſiae de navigatione exſtinguuntur; Mercium Index nunc etiam magis ex voto conſtituitur (n. 509.). Ita tamen ut mercium pretio declarato Rex

Ab Suecis obtinetur novum Fedus Helſingorae a. 1559. et Matricula.

 ſibi

ſibi merces vindicare poſſit ſuperadiecta $\frac{1}{5}$ pretii parte. Adduntur duo Capita de ſublata per haec Conventa omni ſimultate, et de valituro demum Federe post Pacem Suecos inter et Danos conciliandam; quae et interventu OO. Belg. et RR. Gall. et Angliae, ſub CAROLO XI. a. 1660. d. $\frac{27.\ Maii}{6.\ Iun.}$ tandem promota est (n. 514.); uti et *Pax Olivenſis* cum Imperatore et Polonis (n. 513.). Exſtant hoc in bello praeclara Belgarum Heroum ac Praefectorum navalium facinora, ut p. 302. monui.

Abrogatio huius Federis, ex novo Federe a. 1667.

§. CCCXXVI. Sed paullo post mutata ſcena est. Quum enim Reſpublica bellis luctaretur cum Gallis, Anglis, Luſitanis et Episcopo Monaſterienſi; (ſub h. t. enim Reipublicae nunquam fere ab armis erat quies) Rex Sueciae CAROLVS XI. arrepta, ut fit, occaſione, ſuas res ſtrenue promovebat. Nam praeter lites de rebus Africanis et de Societate motas, obtinuit ab OO. Fedd. a. 1667. d. 26. Apr. (n. 593.) abrogationem Pacti *Helſingorae* ſive *Elucidationum*; porro d. 16. Iul. (n. 595.) ex pacto quodam praevio deſignantur merces *vetitae* et *licitae*; nunc vero ex novo Pacto pro *licitis* declarantur, quae navibus ornandis inſerviunt. Praeterea d. 28. Iul. (n. 596.) aliud adiicitur Fedus Amicitiae, Pacis continuandae, Commercii et Navigationis, quo prior illa *Reſcisſio* confirmatur; et denuo redintegrantur priora Pacta a. 1640, 1645. et 1656.; controverſiae quoque, potisſimum Africanae, componuntur, et reliqua Regis *postulata* compenſantur ſumma *f* 140,000 Imperialium.

Confirmato

§. CCCXXVII. Novis ſubinde ortis litibus alterum

rum a. 1673. d. $\frac{22.\ Apr.}{2.\ Maii}$ (n. 655.) adiectum est Pactum confirmatorium. De triplici Federe a. 1668. (n. 603.) inter *Anglos*, *Suecos* et *Belgas*, pro concilianda Pace inter *Gallos* et *Hispanos*; de altero d. 25. Apr. h. a. (n. 609, 610, 616.) ſubſidiario, et de praeſtanda h. f. per Suecos evictione, et de ſubſidiis Regi ſolvendis; nec non de *Pacto Fideiusſorio* a. 1668. M. Maio (n. 611, 613.) pro inita *Pace Aquisgranenſi* ſervanda, dictum est ſupra.

a. 1673. Alia Pacta.

§. CCCXXVIII. Maiore laudis praeconio dignum est Pactum, olim minus familiare, de ſervanda bello durante civium Mercatura. Cuius haec erat occaſio. Flagrante Bello Gallo-Belgico, Rex Sueciae per Gallos incitatus bellum movebat Electori Brandeburgico, Belgarum Socio. Dani Electorem iuvant. Respublica Electori itidem ex Federe opem latura cum ſociis d. 15. Iun. Regi Sueciae bellum indicit. Mittitur TROMPIVS cum claſſe in ſinum Codanum. Sic rupta omnia priora, etiam *Commercii Federa*. Hoc flagrante bello Rex CAROLVS XI. cum Belgis Pactum Conventum iniit a. 1675. d. 26. Nov. (n. 693.) de *ſarta tecta* ſervanda privatos inter cives *Navigandi* et *Commercia agendi libertate*; cuius §§. III, IV. merces *liberae* et *vetitae* accurate deſignantur; in reliquis cavetur de navium viſitatione, comitatu, et iure armatorum, vulgo *Commisſievaarders:* addita formula ſalvi commeatus (*Pasſeports*). Neque abludunt quae eodem anno inter Gallos, Hispanos et Belgas, acta habentur (n. 689. et 691.).

Pacta Commercii durante bello a. 1675.

§. CCCXXIX. Alluxit tandem a. 1678. Pax Eu-

Nova Federa,

ropae generalis. Supererant ſoli Belgae cum Suecis pacandi. Ordines bellum finire detrectant, niſi ſimul conveniretur de *Federe Commercii.* Post multas, quae devorandae erant, difficultates duo tandem eodem die $\frac{2}{12}$. Oct. a. 1679. (n. 724. ſq.) coaluere Federa, hoc *Pacis*, illud *Commercii.* Ab hoc tempore nova cum Suecis orditur Epocha!

Pacis — In *Federe Pacis* reſtaurantur priora omnia Federa a. 1640—1667. exceptis ſolis *Commercii* negotiis. De his ex altero cavetur Pacto, quod §§. XXXVII. conſtat, et ad 24 annos initur.

et Commercii a. 1679. d. 12. Oct. — Eius baſis ac fundamentum §. I. ſtatuitur *reciproca et plena Navigationis et Commerciorum Libertas per omnia et quaevis Regis Sueciae et OO. Fedd. Regna et Ditiones in Europa, per omnia mercium genera*, quatenus pleniſſima *ea libertas in ſqq. limitata vel reſtricta non esſet.*

§. II. Si Pax rumpatur, Subditis 9 menſium erunt Induciae. Nec niſi in caſu denegatae iuſtitiae §§. III, IV. Literae *Repreſaliarum* permittentur.

§. V. Pro Principis debitis nulla erit adverſus Subditos actio.

§§. VI, VII. Omnis cesſabit *Commercii* et *Vectigalium inaequalitas*, ab a. 1656. introducta; excepta, in nonnullis Regis Sueciae ditionibus (43), certa Mercium ſpecie ex Matriculis.

§§. XV,

(43) Hac occaſione nominatim recenſentur quae tunc erant Regis Dominia, Suecia, Finlandia, Esthonia, Livonia, Ingria, Pomerania, Megapolis, Riga, Reval, Wiburgum; unde de inſigni momento huius Stipulationis licet iudicare.

§§. xv, xvi. Recenſentur *vetitae merces*, eoque referuntur quaevis arma et inſtrumenta bellica. Ad licita nunc referuntur omnis generis commeatus; et (contra atque in Danis) quidquid ad conſtruendas inſtruendasque naves eſt neceſſarium; quidquid pro bello ſive terreſtri ſive maritimo gerendo formam non accepit. Vetitae ex §. xxi. ſolae publicabuntur, non vero reliqua merx, neque navis.

§§. xvii—xx. Deſcribitur iuſta et iniuſta navium perſcrutatio ac literarum maritimarum exhibitio.

§§. xxii, xxiii. Sanciuntur Regulae, *amica navi, merx amica; inimica navi, merx inimica.*

Reliqua Capita agunt de navibus bellicis, de mortuorum bonis, de capta praeda, de navibus tempeſtate coactis, de naufragis, de praedatoribus, de piratis; de miniſtranda iuſtitia; de admittendis Conſulibus; denique de navibus per hoſtes in ſolo alterius non capiendis, et ſimilia.

§. CCCXXX. Statim ab Pace Neomagenſi Rege Galliae rebus denuo turbandis cauſſam praebente, Belgae id avertere annixi, pro conſervanda *Pace Neomagenſi* et *Monaſterienſi*, novo ſe Federe iungunt contra quosvis turbatores a. 1681. d. $\frac{30.\ \text{Sept.}}{10.\ \text{Oct.}}$ (n. 731.) ad 20 annos. Secutae deinde ob bellum Gallicum arctiores cum LEOPOLDO Imper., CAROLO II. Rege Hiſpaniae et Rege Sueciae, mutui auxilii conſociationes a. 1682. d. 2. Maii, a. 1683. d. 6. Febr., 18. Mart. et 18. Maii (n. 733, 735, 737.). Quibus omnibus firmius robur acceſſit ex novo Federe cum Rege Sueciae, a. 1686. d. $\frac{2}{12}$. Ian. (n. 748.) quo priora omnia per

Belgae arctius ſe ligant Suecis a. 1681–1686. ob Gallos.

per 20 annos confirmantur, nominatim Federa a. 1640, 1645, 1656, 1667. et 1679.

Etiam post Pacem Ryſvicenſem a. 1698, 1700.

§. CCCXXXI. Compoſitis autem privatis quaeſtionibus de navibus Suecicis per Hollandos captis, deque damno reſarciendo, ex aliis Pactionibus, a. 1691. d. $\frac{19}{29}$. Nov. et a. 1693. d. $\frac{15}{25}$. Nov. (n. 794.); priora Federa, denuo post *Pacem Rysvicenſem*, ſub CAROLO XII. ſucceſſore a. 1698. d. $\frac{12}{22}$. Febr. (n. 824.) et d. $\frac{4}{14}$. Maii (n. 826.) ſunt ſancita, de tuendis viciſſim poſſeſſionibus et de pace generali conſervanda; duratura quamdiu duret Fedus a. 1686. eaque omnia maiorem ſtabilitatem acceperunt ex novis inter Anglos, Suecos et Belgas, ad annos 18. Conventis a. 1700. d. $\frac{13}{23}$. Ian. (n. 837.) eo tempore, quo Ruſſi, Poloni, Dani, arma in CAROLVM XII. vertebant; ex quo Belgae miſſa claſſe egregie de Suecis *meriti* ſunt, et moderatorum partes egerunt in Pace Travendal inter Suecos et Danos a. 1700. d. $\frac{18}{28}$. Aug. (44), quo ſtipulatum est, ut ne Danus opem ferret hostibus Sueciae. Vnde quies Septemtrionis, et maior Maris Balthici pro Belgis ſecuritas; quae firmari videbantur per Fedus Danorum cum gentibus maritimis a. 1701. (§. CCCXIV.). Sed nova tunc bellorum ratio Suecos inter et Polonos ac Ruſſos usque ad a. 1721. quo in bello inſignia facinora CAROLI XII.

§. CCCXXXII.

---

(44) DV MONT, *Corp. Dipl.* T. VII. P. II. p. 480. et ex Secretis OO. GG. Archivis ad a. 1701. d. 8. Ian.

Digitized by Google

§. CCCXXXII. Omitto hic alia orto bello Sociali cum Gallis Federa auxiliaria et ſtipendiaria Anglis et Belgis cum Suecis communia a. 1701. d. 7. Oct. et a. 1703. d. 16. Aug. per annos 18. duratura, quibus Regi Sueciae certas pecuniae ſummas pollicentur, ad auxilia vi Federum praeſtanda.

Federa Subſidiaria a. 1701, 1703.

§. CCCXXXIII. Rex Sueciae bello Germanico et Septemtrionali implicitus aegre deinde quidem tulit, Ordines Federatos durante bello ſociali ſeparatim cum Imper. IOSEPHO et Regina Angliae Pactum quoddam iniiſse *Neutralitatis* ſive de tuenda Imperii Germanica tranquillitate a. 1710. d. 31. Mart. (n. 883.) et ſollemniter obteſtatus est (n. 888.). Aegre tulerunt Ordines ſua vice navium detentionem a. 1715. et iccirco claſſem Anglis iunctam ad tutandam Maris Balthici mercaturam miſerunt. Aegre tulit Rex Sueciae manuum iniectionem in miniſtrum ſuum Baronem DE GORTZ, a. 1717. (CAP. X.). Aegre tulerunt OO. Belgg., exorto novo Suecorum cum Ruſſis bello, detentas 9 naves *ſale* onuſtas in Ruſſiam navigantes a. 1741. ſq. contra *Fedus Commercii* a. 1679. cuius varia capita §§. VI, VIII, XVI—XXVI. uti et literae commeatus ac maritimae (*Paſſeports en Zeebrieven*) hac occaſione implorantur (n. 1026.) adverſus legem eam Navalem, quam Rex Sueciae a. 1741. d. 28. Iul. et 24. Aug. promulgaverat (45). Haud ab-

Variae ſubinde Controverſiae.

Etiam a. 1741. 1790. ex Federe Commercii.

(45) Certe errare videtur J. J. MOSER, Verſuch eines Neuesten Europiſchen Volkerrechts, T. VII. p. 577.

abſimilis nuperrime (a. 1790.) ex nova Lege navali fuit controverſia.

Status hodiernus. §. CCCXXXIV. Si haec minoris momenti litigia exceperis, manſit hoc ſeculo incolumis Suecorum et Belgarum coniunctio et amicitia; eaque arctius adſtricta eſt a. 1780. d. 1. Aug. (n. 1193.) per *Neutralitatem armatam*, ex qua, poſt fruſtra petita adverſus Anglos auxilia, Rex opem ſuam Mediatricem obtulit (n. 1196.) quam quo minus amplecterentur Ordines, prohibuere nova cum Gallis belli conſilia (46).

Contrahamus omnia! Plura fuere Reipublicae noſtrae cum Suecis *Federa Commercii* ac *liberae* per Mare Balthicum *Navigationis*; permultae etiam, occaſione exteri belli, *Conſociationes* ac *Pacta Subſidiaria*; variae de *Vectigalibus* et id genus aliis *lites*, Pactis ſopitae. Vnum duntaxat *Pacis Fedus*.

Hodierna Suecorum Mercaturae et Navigationis ratio non multum Belgis favet.

FEDERA COMMERCII CVM VRBIBVS HANSEATICIS.

Nomen Hanſa, §. CCCXXXV. Vix intelligi Belgarum Mercatura, eius origo, et incrementum poteſt, niſi *Societatem Hanſeaticam* cognoſcas.

et origo Societatis De nominis derivatione, de huius Conſociationis

---

577. noviſſimum *Commercii Fedus* eſſe cenſens a. 1667. d. 28. Iul. niſi ad temporaria reſpexeris.

(46) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1782. p. 661. ſq.

Digitized by Google

nis origine, indole, ſcopo, incremento, decremento, multi multa.

Erant *Civitates*, quae, durante morum et temporum ferocia, ſeculo iam XIII., variis etſi Principibus parentes, communi tamen nomine ac privato pacto ſe coniunxerant ad tuenda Commercia ſua. Horum capita erant *Lubeca* et *Hamburgum*. Erat haec *Hanſae* ſocietas potentisſima, ditisſima; et ante inita ipſos inter Principes Commercii Federa, quoddam quaſi totius Commercii Europaei Monopolium agebat ſuſtentabatque. Audaces fortuna iuvabat. Eius Privilegia per quatuor olim Emporia diſtributa: 1. Brugis in Flandria, 2. Londini in Anglia, 3. Bergis in Norvagia, 4. Novogardiae in Rusſia. *Belgarum* multae erant *Vrbes* Sociae, in Gelria, Hollandia, Zeelandia, Transiſalania.

ab ſeculo XIII.

Vrbes in Belgio Sociae.

§. CCCXXXVI. Inſignia ubique accipiebant Privilegia (47). Mature cum Regibus Autonomis Federa coierunt.

Inter Federa huius *Hanſae* eminent, quod a. 14$\frac{36}{37}$. d. 22. Mart. (n. 45.) inierunt cum Regibus Angliae et Galliae; a. 1441. d. 23. Aug. (n. 54.) cum PHILIPPO Duce Burgundiae, Comite Hollandiae et Zeelandiae, per formam *Induciarum* (48); a. 14$\frac{73}{74}$. d. 28. Febr. (n. 74.) cum

Federa cum Regibus.

EDV-

(47) Multa recenſet AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. VIII. p. 295—308.

(48) Quo ſimul die PHILIPPVS Burgundus cum Rege Daniae Sueciae et Norvagiae in concordiam rediit

EDVARDO Rege Angliae; a. 1545. d. $\frac{8}{18}$. Febr. (n. 130.) cum Oppido Antverpia; a. 1560. d. 25. Iul. (n. 142.) Fedus *Odenſeanum* cum Rege *Daniae*, de Navigatione per Fretum Sundicum, deque vectigalium ſolutione.

Decrementum ſeculo XVI. §. CCCXXXVII. Decrevit illa Societas inde ab ſeculi XVI. initio; decrementi cauſſis accenſeri debet incrementum Mercaturae Belgicae, et praeclara CAROLI V. Belgarum Principis *conamina* de civium mercatura paſſim amplificanda.

Pacta cum Belgis Inſignem tamen adhuc a. 1585. *auctoritatem* ſibi arrogavit erga Rempublicam Belgicam. Prima *Federis* vere ſic dicti cum Belgis occaſio fuit *Vectigal*, iusto gravius ab Rege Daniae Belgis extortum.
a. 1613. ſqq. Hoc ut averruncarent OO. Fedd., a. 1613. d. 30. Mart. (n. 271.) cum Vrbe *Lubeca*, *Hanſae Capite*, Fedus ad annos 15. inierunt *de ſarta tecta ſervanda Libertate Navigationis et Commercii per mare Balthicum et Septemtrionale contra quosvis turbatores.* Accedebant eodem anno Vrbes *Magdeburgenſis* et *Brunsvicum*, et a. 1615. M. Dec. (n. 281.) reliquae omnes ad oram Maris Balthici ſitae ad 12 annos; ſequente vero anno 1616. d. 14. Iun. (n. 285.) haec Federa etiam cum Rege Sueciae renovata ſunt.

a. 1645. §. CCCXXXVIII. Affulgente vero ſpe Pacis cum Hispanis, creſcente in dies Belgarum Mercatura, et Dano Suecoque non admodum inter ſe concorde, poſt-

diit (n. 52.), nec non cum Duce Holſatiae (n. 53.), et d. 6. Sept. cum Livonis Borusſisque (n. 55.).

poſtridie *Pacis Bromſebroënſis* (§. CCCVII.) inter Ordines atque Vrbes *Bremam* et *Hamburgum* a. 1645. d. $\frac{4}{14}$. Aug. (n. 393.) in annos 15. iterum convenit de tuenda navigatione per flum. Viſurgim et Albim usque ad Fretum; eique a. 1646. d. 25. Oct. (n. 403.) acceſſere reliquae Hanſeaticae. Rex itidem Hispaniae a. 1647. d. $\frac{1}{11}$. Sept. (n. 416.) inito cum ipſis *Federe Commercii*, promiſerat eadem, quae Belgae pace initâ abs ſe obtinerent, Privilegia; ſtetitque promiſſis; unde derivanda magni momenti in *Pace Belgica Monaſterienſi ſtipulatio* §. XVI. a. 1648.

Magni etiam habitum eſt Fedus LVDOVICI XIV. Reg. Gall. cum his Vrbibus Hanſeaticis a. 1655. d. 10. Maii (n. 469.) cuius normam Galli et Belgae ad tempus ſecuti ſunt, dum de novo *Commercii Federe* inter ipſos tractabatur (§. CLX.). Cum Gallis a. 1655.

Verum paullatim haec omnia collapſa ſunt, ita ut hodie tres duntaxat Vrbes *Lubeca*, *Hamburgum*, *Brema*, hocce nomine cenſeantur; neque hae alias amplius urbes referant vel aliarum nomine agant. Collapſa tandem.

FEDERA COMMERCII CVM REGIBVS POLONIAE, ET VRBE GEDANO (DANTZICH).

§. CCCXXXIX. Proxime ad Mare Balthicum adiacet magna pars Poloniae; inde per fluvium Viſtulam ingens rei frumentariae eſt proventus; ad eius oſtium iacet Vrbs *Gedanum* (*Dantzich*), Polonis iure clientelari ſubiectum. Belgae ſoli mercaturae ſtudentes mature Regum Poloniae amicitiam ambiebant; frumentum avide petebant; querelae de auctis vectigalibus intercedebant, acta de his a. Vrbs Dantzicana Polonorum.

1597, 1640.; fruſtranei a. 1653. conatus de Federe (n. 458.) Memorabile et id genus unicum fortaſſe Fedus est a. 1656. d. 10. et 13. Iul. (n. 476.) probante Rege Poloniae, ex quo Belgarum Vectigal aequo pede cum *Gedanenſi* conſtituitur (49) cum hoc oppido de *tutanda Libertate Commercii* per *Vistulam amnem*. Vnde Belgis inſignia emolumenta accesſerunt; pro eoque a. 1656. d. 16. Aug. (n. 478.) Rex Daniae FREDERICVS III. ſimul cum Ordinibus inito Federe contra Suecos, Gedanum prementes, fideiusſerunt; ſimulque obtinuerunt Ordines, ut Vrbs *Danzicana Federe Elbingenſi* a. 1656. d. $\frac{1}{11}$. Sept. inter Suecos et Belgas comprehenderetur. *Vistula* vero hodie non amplius *Iuris Gedanenſis* est; idque ſuo fato experitur.

Pacta Conventa a. 1656.

Belgarum de Polonis cura.

§. CCCXL. Inter *Polonos* et *Suecos*, bellum gerentes, quae Belgarum *Moderatorum* fuerit cura a. 1653, 1657.; quae Federis mutui auxilii coniectio inter Polonos et Belgas a. 1653. d. 27. Dec. (n. 458.) quae inter Danos, Brandeburgenſes, *Belgas* ac *Polonos*, *Federis* conamina a. 1658. ſq. quid post *Pacem Olivenſem* a. 1660. cum Rege Poloniae CASIMIRO convenerit, et quae Pacis inter *Polonos* ac *Turcas* a. 1699. (n. 832.) per Belgas moderatio et conciliatio, digito hic tetigisſe, ſufficiat.

Qui

(49) Quae tamen ſtipulatio, quum Vistula non amplius esſet Iuris Gedanenſis, ultro cesſavit, obſervante VON STEK, Verſuch über Handels- und Schiffahrtsverträge, p. 145.

Qui hodie inter Gedanum et Belgas eſt nexus, is derivandus videtur ex Federe a. 1656. d. 13. Iul. (50). De Federibus cum aliis gentibus nihil hic addo (51).

FEDERA COMMERCII CVM IMPERIO RVSSORVM.

§. CCCXLI. Extenſiſſimum Regnum Muſcorum ſeu Rusſorum, Gentibus Europaeis olim fere incognitum, hoc ſeculo ſub Imper. PETRO et Imperatrice CATHARINA II. ad tantam nominis famam adſcendit, ut miraculi inſtar haberi poſſit. Quid autem late patentes limites, quid creſcens eius poteſtas cum phyſica tum moralis, quid *Mercatura* in dies effuſior, quid *Navigatio* per omnes mundi partes extenſior, quid *militia navalis*, ac *Federa* quibusvis cum gentibus iuncta, populis Europaeis ad occidentem et meridiem ſitis; quid Turcarum Imperio et Gentibus Aſiae; quid ſibimet ipſi, per nimiam eius, neque eam minorem, quam olim Regni Francici ſub CAROLO Magno extenſionem, in partes aliquando diſtracto, tandem portendant; dies do-

Imperium Rusſorum hodiernum.

(50) Sic certe viſum J. J. MOSERO, Verſuch eines Neueſten Europäiſchen Völkerrechts, T. VII. p. 607.

(51) Hauriri praeter alia debebunt ex MATTHIA DOGIEL, *Federa Conventiones et cuiuscumque generis Acta Publica inter Regnum Poloniae*, etc. Vilnae 1758. ſq. II. Voll. fol. Quod tamen opus videre mihi nondum contigit.

Digitized by Google

doçebit. Nunc tantum quae Belgas ſpectant, agemus.

Belgarum conamina ab a. 1595.

§. CCCXLII. Regiones Ruſſis parentes his mature innotuerunt (52). Iam a. 1597. penetratum ad *St. Archangeli* et *St. Nicolai* portus. Prima tamen cum Magno Muscoviae Duce (ſic enim olim vocabatur) *agendi* occaſio fuit *res frumentaria*, ex eo quod *durante* Bello Hiſpanico Poloni praepedirent Frumenti commercium. Miſſae etiam identidem ſollemniores legationes. Scriptae quoque a. 1596. ſingulari modo literae ab Rege Daniae ad MAVRITIVM Gubernatorem et Ordines Fedd. de impedita per Ruſſos Mercatura in Ora Lapponica (n. 215.). Pro more vero Orientis primitus *per Privilegia*, ſive ſic dictas *Capitulationes* agebatur. Exſtant a. 1612. (§. CCLXX.) Literae MICHAËLIS FEDEROVICII, Magni Muſcorum Ducis, ad eumdem MAVRITIVM et Ordines de libertate Mercaturae, per quas ſimul omnem Regni conditionem publicam, raro utique exemplo! Belgis aperit. Post nonnullas Legationes a. 1614—1616. et alia conamina a. 1626. (n. 323.), tandem a. 1631. (n. 336.) ab eodem MICHAËLE plenam Navigationem et Mercaturam ſecundum Archangeli portum ob-

occaſio.

Capitulatio a. 1631.

(52) Immo habentur iam in *Reſolutien van Holland*, a. 1594. fol. 132, 140, 163. Deliberationes de itinere in Chinam ſecundum oras Septemtrionales, et ibidem a. 1595. fol. 211. ſqq. exſtant *de Inſtructie en Artikelbrieven voor de Schippers en Stuurlieden, op de reiſ benoorden Rusland, Muscovien, Tartaryen, na China.*

obtinuere Belgae; fruſtra idem *ope Federis* impetrare conati a. 1648. (n. 422.).

§. CCCXLIII. Melius ſucceſſura videbatur Conventio *de libertate Navigandi* cum PETRO ALEXIOVICIO (vulgo CZAAR PETER) a. 1715. (n. 936.) deinde a. 1730. (n. 997.) iterum a. 1745. quando ita in procinctu, ut dies 15. Ian. a. 1746. ſignationi Federis iam deſtinatus esſet. Sed optato et haec caruere ſucceſſu. Alia Federis conamina.

De Federe *Stipendiario* et *Subſidiario* a. 1747. d. 30. Nov. dictum ſupra (§. CLXXV.). Hoc autem honoris etiam abſtulit Reſpublica, ut cum WILHELMO III. Rege Angliae *mediatorem* egerit inter Rusſos et Turcas a. 1698. (n. 830.).

§. CCCXLIV. Praeter amicam, quae iure naturali, et gentium conſuetudinario obtinet, navigationem, exſtat hodie et aliud inter Imperatricem CATHARINAM II. et alios Fedus, quod vocant, *armatae Neutralitatis*, *de tuenda libertate Mercaturae et de ſarta tecta conſervanda navigatione eorum populorum, qui in bello neutrarum ſint partium.* Occaſio Federis deſumta ex iis, quae a. 1779. ſq. durante bello Gallo-Anglico in Europa agebantur. Hoc in Federe, quod prudenti Imperatricis CATHARINAE conſilio deberi volunt, et propterea hic memorandum, generales nonnullae Regulae ſtatuuntur, iure naturali et gentium liberarum fundatae, quas a. 1780. Imperatrix *Libro Memoriali* expoſuerat Regibus Angliae, Galliae, Hiſpaniae, aliisque. Simulque declaratur Mare Balthicum *clauſum*, atque omnibus adeo gentibus Pacis tempore *liberum*. Armata Neutralitas a. 1780.

§. CCCXLV. Lectu hic dicta ſunt dubia et Explicationes.

Lex Ruſſiae Navalis.

Declarationes Regum Sueciae, Daniae et aliorum; diſtinctaque ad haec Imper. Ruſſiae Reſponſa; Lex porro eius *navalis* a. 1780. d. 19. Maii, his fundamentis innixa; nec non ipſa Federa cum Danis, Suecis, Boruſſis, Imper. German., Regina Portugaliae, cett. inita (n. 1193.).

Belgae accedunt.

§. CCCXLVI. Invitabatur a. 1780. d. 3. Apr. Reſpublica Belgica. Placebat conditio; ſed infelici Reipublicae fato protracta ſunt conſilia; decretum fit d. 20. Nov. per IV. Provv. ſuffragia; ſequitur demum ab parte Ordinum d. 24. Dec., Ruſſorum a. 1781. d. 5. Ian. (n. 1194.) ratihabitio; adiecto ſeparato Articulo de *clauſi* maris Balthici *libertate*. Interim iam a. 1780. d. 17.

Sed fine effectu.

Apr. ſuſpenſa ab Rege M. Britanniae erant omnia Federa, et d. 20. Dec. ipſum bellum declaratum. Fruſtra deinceps a. 1781. d. 12. Ian. et 8. Febr. (n. 1195, 1196.) imploratur Ruſſorum, Suecorum et Danorum, hoc ex Federe auxilium; deluſa ſic ſpes eſt, quam multi conceperant; Mediatores quidem ſe offerunt, ſed Republica omnem ſpem in Rege Galliae collocante haec Pacis conamina effectu caruerunt.

Status hodiernus.

§. CCCXLVII. Quae hodierna Commercii Belgici cum Ruſſis ſit ratio; quidve de eo a. 1783. apud Ordines GG. deliberatum ſit; narrant ſcripp. (53).

Hoc

(53) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1783. p. 842. et 1042. Cf. WAGENAAR, *Beſchryving van Amſteldam*, D. IX. bl. 419—422.

Hoc ſeculo Rusſia plura Federa Commercii iniit cum Anglis, Gallis, Borusſis (54), et, quod exemplo aliis esſe posſit, cum Imperatore a. 1785. d. 12. Nov.

FEDERA COMMERCII CVM REGIBVS PERSARVM.

§. CCCXLVIII. Rusſis Perſae proximi! et cum his Federa iuncta, certe Privilegia, more Orientis, indulta. Multa in *Archivis OO. GG.* proſtant prima Reipublicae aetate cum Perſis acta (55). Exſtat Regis Perſarum Privilegium, de libertate *Navigationis* et *Commercii* in favorem Societatis Indicae, a. 1624. d. 24. Dec. (n. 313.). Conabantur Belgae a. 1626. d. 20. Apr. (n. 322.) per territorium Magni Muſcorum Ducis Mercaturam agere cum Perſis (n. 323.). His etiam Belgae ſua vice ex Capitulatione cum Rege SOPHI a. 1631. d. 27. Febr. (n. 335.) omnem indulſerunt facultatem mercandi, commeandi, ſedem mercatoriam erigendi,

Regum Perſarum cum Belgis nexus a. 1624, 1631.

---

(54) Vid. VON STEK, Verſuch über Handels- und Schiffahrtsverträge, p. 160. ſqq. J. J. MOSER, Verſuch eines Neueſten Europäiſchen Volkerrechts, T. VIII. p. 133. ſqq. 164, 225.

(55) In his ex *MS. Indice Archivi* OO. GG. p. 148. n. 1. memoratur: *Translaet uit het Perſiaensch van een Brief van den Coninck van Perſie aen Haer Hoog Mogg. ofte* DEN KONINCK *van Hollant.* Sed ſine die. Aliae ad Regem Perſarum literae Ordinum a. 1624. (n. 311.).

Digitized by Google

di, religionem exercendi, eodemque utendi iure quo in urbe *Delſis* t. t. gaudebat ſocietas Mercatorum *Anglica*, et *Campverae* Scotica. An ex hoc Privilegio *Armeni* et *Perſae* hodie *Amſtelodami* iura ſua derivant?

FEDERA COMMERCII ET ALIA CVM ITALIAE POPVLIS, IN HIS CVM VENETIS.

Italiae. §. CCCXLIX. Cum Gentibus Italicis, ante ſeculum XVII. nulla fere Commercia, nulla Federa. Naves Belgicae a. 1591. prima vice in Italia viſae.

Vrbis Venetae Inſigni iam tunc urbs *Veneta* florebat Navigatione, Mercatura, ſplendore. Decrevit ſplendor ille per mercaturam ad alias paullatim gentes translatam.

cum Belgis nexus. Prima cum *Venetis* coniunctio debetur, mirum dictu! ſimultati Reipublicae Venetae cum Pontifice Romano. Offerebant Belgae opem a. 1606., ſequebatur, pactis Induciis, Legatio a. 1610. ad Venetos.
a. 1616. A. 1616. ab vicino Istriae domino oppreſſi obtinuere Belgarum copias, quae tamen miſerrimo
a. 1619. fato perierunt omnes. Nec niſi a. 1619. d. 31. Dec. (n. 294.) coaluit *mutui auxilii* Fedus in 15 annos, ex quo Belgae adepti ſunt ſubſidia pecuniaria in bello cum Hispanis egregia. Ceſſante vero Reipublicae Venetae ab Auſtria metu ceſſavit eius in Belgas ſtudium, fruſtra conquerente Republica Belgica. Revocatis post a. 1638. utrimque Legatis, incolumis manſit Amicitia; de novo vero Fe-
a. 1664. dere incaſſum agitata a. 1664. conſilia (n. 556.). Belgae a. 1699. Pacis moderatores fuere Turcas inter et Venetos (n. 833.).

Pri-

Privatam nuper controverſiam cum 2 Mercatoribus Amſtelodamenſibus *Chomel* et *Iordan* haud memorarem, niſi OO. GG. hanc cauſſam quodammodo feciſſent ſuam (56). Chomel et Iordan.

CVM REGE SICILIAE.

§. CCCL. Regni varia fata! Adiuncto vel disiuncto Ducatu Neapolitano eoque Regni titulo illuſtrato, multis id paruit Principibus, hoc tandem ſeculo duo illa Regna *utriusque Siciliae* dicta. Miſſis negotiis, quae inter OO. Fedd. et Regem Siciliae interceſſerunt, 1. durante bello cum Gallis a. 1672. 2. per acceſſionem Regis ad Fedus *Quadripartitum* a. 1718. alia: hic tantum obſervo, Belgis ex Federis *Viennenſis* acceſſione a. 1731. d. 16. Mart. §. VII. in Regno Siciliae ſalva manſiſſe omnia Privilegia, quibus fruebantur ſub Regibus Hispaniae. Res Siculae, in primis ex Federe a. 1731.

§. CCCLI. Sed de peculiari *Commercii Federe* ineundo iam ab a. 1740. laboratum; tandem ſuperatis, quae impediebant, *obſtaculis*, a. 1753. d. 27. Aug. (n. 1103.) initum est Fedus Belgis admodum proficuum; cuius primaria capita praeter ſtipulatam §. III. ſqq. perfectam omnium mercium utrimque advehendarum, et ipſorum Mercatorum cum civibus aequalitatem, huc redeunt: Fedus ſpeciale a. 1753.

§. VII.

---

(56) Conf. *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1784. p. 127, 693. a. 1785. p. 398. ſqq.

Digitized by Google

§. VII. Religionis Libertas eadem quae in Gallia et Hispania.

§. VIII. Si quis *Iuris* Mercatorum *Conſervator* aliis concedatur gentibus, idem ius erit Belgis.

§. IX. Merces intra *aedes* nulli viſitationi obnoxiae, niſi *vetitas* certo conſtet.

§§. XIX—XXII. Omnium mercium libera erit vectio, etiam ad hostes, exceptis pro more vetitis, eaque non alia ſtatuuntur, niſi *armamenta bellica* vere ſic dicta, et *equi*, eorumque apparatus.

§§. XIV, XV. Armatis navibus patebunt portus, ſed adhibita moderatione.

§. XXVIII. Sanciuntur Regulae, *inimica navi, merx inimica; amica navi, merx amica*; immo integrum onus hostile, et homines, libere vehentur, exceptis tamen militibus et reis aſylum in navi quaerentibus.

§. XXXVIII. Piratae non admittentur.

§. XLIII. Bello exorto *duorum annorum* iustitium erit privatis.

§. XLVI. Neque per haec quidquam derogabitur *Federi Monasterienſi* a. 1648. et *Fed. Maritimo* a. 1650.

Reliqua pro more. Et hoc iure quiete hactenus utimur. Oportunus istius Regni ad Mercaturam ſitus est.

CVM DVCE SABAVDIAE.

Cum Duce Sabaudiae.

§. CCCLII. Cum Duce Sabaudiae, quantum ad *Commercia*, ex ſitu Regionis parum fuit oportunitatis post liberam Rempublicam. Sed uti cum *Helvetiis*, ſic cum *Sabaudis* Pacta *Stipendiaria*, nec non

Digitized by Google

non *Socialia*, a. 1617, 1686, 1695, 1703. ſq.

Gravis vero aliquando labor et controverſia ex perſecutione eorum, qui in *Vallibus Pedemontanis* Duci ſubiectis, puriora ſacra profeſſi, communi nomine *Valdenſes* dicti, Belgarum, ut et Anglorum, auxilium adverſus miſeros afflictus implorabant. Sic a. 1654, 1662. item a. 1686. post revocatum per Regem Galliae Edictum Namnetenſe; iterum a. 1730. ſqq. Privatam horum Valdenſium curam per Synodos Belgg. Eccleſiaſticas agunt OO. GG., et multa de his in Belgio ſcripta proſtant. Pacta et Contro-verſiae de Valdenſi-bus.

Quae cum eo, tanquam Rege Sardiniae, ex Pactis cum aliis gentibus initis, tractavit Reſpublica, hîc illic indicavi. Cum illo a. 1787. de *vectigali* fuit controverſia. Redemerunt vectigal Galli et Angli.

CVM PONTIFICE ROMANO.

§. CCCLIII. Cum Pontifice Romano, qua tali, nullum Belgis negotium. In Pace Ryſvicenſi hunc Rex Galliae admiſſum ſocium volebat; negabant OO. GG. poſſe cum eo, qua Eccleſiae Capite, tractari; admiſſus tamen ab iis est tamquam *Princeps Territorialis*. Exſtat de his Ordinum Decretum a. 1698. d. 8. Ian. (n. 823.). Pontifex Romanus. Non agnoſcitur ut talis.

§. CCCLIV. Ceterum in Belgio post aſſertam Religionem Reformatam, quae omnem hierarchiam odit, nullam habent vim vel efficaciam Pontificum Romanorum Edicta; niſi ab Ordinibus examinata, probata. Multae tamen lites deinde inter ipſos Pontificios agitatae, uti erant de *Calendario Gregoriano*; de *Festis diebus*; de *Archiepiſcopatu Traiectenſi*;

Digitized by Google

ſi; de *Bulla Vnigenitus*; de *Vicario*; de *Ordine Ieſuitarum*. Ex his ne quid damni oriatur, penes OO. GG. et ſingularum Provv. Ordines, cura est.

FEDERA CVM PRINCIPE TRANSSILVANIAE.

Cum Principe Transſilvaniae.

§. CCCLV. Hic olim ſui iuris Princeps, et partis ſimul Hungariae Dominus, Imperatori Germanico infenſus eo tempore, quo Belgae, Angli, Dani, contra Auſtriacos et Hispanos a. 1625. ſe conſociaverant, eidem ſe Federi iunxit a. 1626. d. 18. Sept. (n. 325.) Fructu exiguo.

FEDERA ET CAPITVLATIONES CVM IMPERIO TVRCICO ET GENTIBVS AFRICAE MARITIMIS.

Pristina Turcarum cum Belgis ratio.

§. CCCLVI. Prima Belgarum cum Turcis negotia Commercii ab a. 1616. repetit WAGENAAR (57); minus accurate. Longius abit MABLY, qui ab a. 1680. (58). Federa, ſin malis, *Capitulationes* ac *Privilegia*, uti Gallis et Anglis, ita *Belgis* de Mercatura et Navigatione libere exercenda iam proſtant a. 1598. M. Apr. (n. 217.) ex quo eadem Libertas datur Belgis, quam ex Privilegio a. 1569. habebant Galli, ſub *nomine* tamen et vexillo Regis *Fran-*

(57) WAGENAAR, *Beſchryving van Amſteldam*, D. IX. bl. 416.

(58) MABLY, *Droit Public de l'Europe*, T. II. p. 89.

Digitized by Google

Francorum, hodie *Galliae*. Immo maturius Turcarum Imperator Belgis cognitus est a. 1582.

§. CCCLVII. Maiora tamen et ab Gallis ſeparata commoda nacti ſunt, postquam, obita ſplendidisſima Legatione, CORNELIVS HAGA cum Imperatore Turcarum ACHMET CHAN a. 1612. d. 6. Iul. (n. 269.) *Pactum Conventum* ſive *Capitulationem* iniit, ex qua Belgis (59). §. II. ſq. concesſa est libera per omne Imperium Turcicum terra marique Mercatura, eaque §. LX. extenditur ad *Trebiſonde*, *Caffa*, maris *Moeotidis* oras, ad *Danubium*, *Aſoph*, et omnem *Rusſiam*. Prima Capitulatio a. 1612.

§§. VI—VIII. Merces et Mercatores, navi inimica vel piratica reperti, nec publicabuntur nec ſervi fient, dummodo ne ipſi piraticam exerceant.

§§. IX, XLI. Aequa erunt Belgarum cum Gallis et Anglis privilegia et libertates.

§. XI. Admittentur *Legatus* et *Conſules*; eruntque

(59) Meretur hic titulus adſcribi, quo Ordines Reip. Belgicae ſtilo Aſiatico honorantur ab Turcis §. II. *Een Eere van de grootheid der Heerlykheid des Christendoms, grootſte Hoogheid van de Excellentie en grootheid der Wet van Christus, Regeerders van de Regeering der Gemeente der Christenen, Patronen van de Beleefdheid, Heeren van Macht en Eere, de* GENERALE STATEN, *Heeren en Patronen van de Vereenigde Provincien, gelegen onder Nederland, als zyn Gelderland, Holland, Zeeland, Utrecht, Vriesland, Overyſſel, Groningen en Groningerland, en daar en boven van zoo vele Ryken, als zy in Oost-Indien bezitten.* — —

que hi *Belgarum iudices* etiam in cauſſis *criminalibus*.

§§. XIII — XVI, XXVIII — XXXVI, LVII. Cavent de privatis Belgarum Iuribus, hereditate, debitoribus, contractibus, bonis naufragis.

§§. XVII–XX, XLII. ſqq. De Vectigalibus, cett.

§. XXI. Querelas de Orae Africanae praedonibus ad Imperatorem Turcarum deferre permiſſum; eaedemque Gentes Africanae hoc Federe comprehendentur.

§§. XXIII, XXXIV, XXXIX. Belgae ſervi ſine pretio relaxantur, neque eos poſthac in ſervitutem redigere fas erit.

§§. XXIV, XXV. Merces hoſtiles Belgica navi iuxta et vectores liberi ſunto.

§. CCCLVIII. Aegre haec Galli ferebant. Praeſentibus Belgae gaudebant, ac iure ſuo. Dona, pro more Orientali, per Legatos data ſunt magnifica. Ab hoc tempore repeti debent Conſules in Regno Turcarum (*de Levant*). Novi Pacti mentio a. 1634. d. 20. Febr. non niſi in Indice MS. mihi occurrit (n. 344.).

Nova Capitulatio a. 1680. §. CCCLIX. Ampliatum prius illud et in nonnullis mutatum est Privilegium a. 1680. M. Sept. ſub Turcarum Imperatore MOHAMED IV. Ab eo tempore *ſub proprio vexillo* navigare licuit; crevitque ſimul tantus Belgarum apud Turcas honor et exiſtimatio, ut paucis poſt annis OO. Belg. Mediatores et tamquam arbitri cum WILHELMO III. Rege Angliae ſederint in *Pace Carolovicia* inter quatuor potentiſſimos Principes, Turcas, Ruſſos, Imperatorem Germanicum, Regem Poloniae, a. 1699. d. 26. Ian. (n. 830—833.) qua in

in Pace memorabilis est *Locus congreſſus ad Danubium.* Idem deinde in *Pace Paſſarovicia* a. 1718. d. 21. Iul. inter Turcas et Imperatorem Germanicum, ex qua *Belgrado* ceſſit Imperatori, quod a. 1739. iterum Turcis redditum. Ex priſtino Federe a. 1680. controverſia ab Turcis a. 1715. Reipublicae mota feliciter ſopita eſt; uti et alia a. 1741. et 1760. tentata.

Dignum obſervatu eſt, moribus Turcarum valida non haberi Federa, niſi conſcripta Lingua Turcica (60): in his autem difficilior annorum computatio ex aere MOHAMMEDICA, HEGIRA (61) dicta.

De inſigni Belgarum honore, de commercio Gentium Europaearum (62), nec non de Federibus, quae cum aliis Europae Principibus hodie Turcis intercedunt, conſulantur ſcriptores (63).

CVM

---

(60) Sic certe Mr. DE REAL, *Science du Gouvernement* T. V. p. 558. ſqq. ubi de Interpretibus (*Dragomans*) p. 560. ſq.

(61) De hac Computandi ratione ago in *Collegio Diplomatico*, §. LXXI.

(62) MABLY, *le Droit Public de l'Europe*, T. II. p. 48. ſqq. CAP. V. titulo: *Traités des Puiſſances Chrétiennes avec la Porte.* Et quae cognoſci in primis debent Gallorum, DE REAL, *Science du Gouvernement* T. V. p. 703. ſqq. add. VON STEK, Verſuch über Handels- und Schiffahrtsverträge, p. 93. ſqq.

(63) MABLY, *le Droit Public de l'Europe*, T. II. p. 89–92. DE REAL, *Science du Gouvernement* T. V. p. 702.

Digitized by Google

CVM GENTIBVS ORAE AFRICANAE (VVLGO DE BARBARYSCHE KUST).

Gentes orae Africae.

§. CCCLX. Imperio Turcico, ſed laxius, parent Gentes orae Africanae. Hinc, ſi exceperis Federa, quibus Turcarum Imperator opem iis praeſtare, ex fide, prohibetur (64), reliquae Stipulationes vix proſunt has inter gentes parum cultas; quas iccirco Europaei, in primis Belgae, ad redimendam fere depraedationum vexam, vel pactis ſibi conciliant vel donis deliniunt.

CVM MAROCCANIS.

Maroccani.

§. CCCLXI. Iam a. 1610. d. 24. Dec. (n. 264.) coaluit *Fedus Commercii*, ſaepe redintegratum (65), variatum, revocatum, re vel tempore postulante, a. 1683. d. 26. Maii, a. 1684. M. Aug.

---

p. 702. et *Le grand Treſor Hiſtorique & Politique du floriſſant Commerce des Hollandois*, Mablivio laudatus. (Cf. n. 1224.).

(64) MABLY, *le Droit Public de l'Europe*, T. II. p. 84.

(65) Narrat BAUDARTIVS, *Geſchiedenis der Vereenigde Nederlanden*, T. I. L. VIII. p. 62. b., Regem Maroccanum a. 1616. ad OO. GG. perſcripſiſſe, velle ſe colere amicitiam *met de Regeerders van 't Nederland, die hy verſtaet dat trouw en geloof houden, ende daer in ſo vast ſtaen als de bergen op aerden.* Egregium ſane Belgarum laudis praeconium!

Digitized by Google

Aug. a. 1692. d. 18. Iul. a. 1730. d. 8. Nov. a. 1752. d. 21. Nov. Omitto acta a. 1715, 1753, 1756. d. 4. Aug. a. 1765, 1775.

Hodie arcta intercedit amicitia; honorifice in Republica a. 1783. receptus eſt Legatus Maroccanus; et a. 1787. d. 11. Mart. (n. 1256.) Imperator Belgis indulſit liberum Commercium in Portu *Larrache*, excluſis reliquis nationibus, data facultate erigendi ſedem mercatoriam, ad rem frumentariam et goſſypia; ac conceſſa iura Conſulis in Oppido *Tanger*.

CVM SALETANIS.

§. CCCLXII. Sub *Maroccano* Rege hodie urbs *Salee*. Olim ſeparata cum ea Federa Belgae pepigerunt; quae exſtant ab a. 1651—1659. n. 437, 481, 492, 506.

CVM ALGERITANIS.

§. CCCLXIII. Cum Regno *Algeritano* (*Algiers*) multa ſunt vel Privilegia vel Federa, iam ab prima inde aetate, a. 1617—1626. (n. 288, 292, 300, 321.). Maioris vero momenti ſunt Acta ſub M. RVITERO, (n. 531.) et Pactum ad exemplum Federis Turcici a. 1612. initum a. 1662. d. 22. Nov. (n. 540.). Alia porro acta et conventa a. 1677. usque ad a. 1760. (n. 698, 721, 727, 870, 898, 982, 996, 1001, 1109, 1121, 1136.). Quanta vero hae gentes ſint levitate in Pactis ſolvendis, docet bellum a. 1755. Reipublicae illatum.

CVM TVNETANIS.

§. CCCLXIV. Cum Regno *Tunetano* (*Tunis*) quid

Y

quid negotii interceſſerit, docent Fedd. a. 1622. d. 14. Nov. (n. 301.) a. 1662. d. 2. Sept. (n. 536.).

CVM TRIPOLITANIS.

§. CCCLXV. Ita et cum Principe *Tripolitano*, a. 1703. d. 15. Dec. (n. 870.) a. 1704. (n. 871.) a. 1728. d. 4. Oct. (n. 990.).

§. CCCLXVI. His autem Pactis multa inſunt peculiaria; uti de ſervis redimendis, de muneribus amicitiae cauſſâ mittendis; et alia, quae inter gentes moratas hodie ſine Pactis valent.

Reges vero Europaei iam mature inter ſeſe pacta inierunt ad aſſerendam contra horum depraedationes, dicam an piraticam? ſecuritatem navium, mercium, et nautarum, ab a. 1351.

In has gentes vehementer et hodie, ac ſane haud ſemper immerito! propter commercii impedimenta, invehuntur nonnulli. Multae hîc Quaeſtiones; ſintne hae Gentes proprio ſenſu *piratae* dicendae? an *natio* piratica? an medium quoddam *piratas* inter et populos bene moratos genus conſtituant? An cum illis Federa pangere conducat? an armis conſiliisque coniunctis earum excurſiones maritimas vel frangere vel penitus exſtinguere? An vero, hoc ſi praeſtaret, is finis obtineri per ſtatum Europaeum poſſit. Quod ſi Federa praeferas, taliane conducant, per quae omnis concedatur apparatus bellicus vel merces iure Gentium hodierno vetitae? Quaenam porro his cum populis ſtipulari oporteat? Vt fiant dociles et moribus cultiores, optat humanitas. Sed vota nil proſunt gentibus.

Digitized by Google



Digitized by Google